

CONFESSIO  
SACRAMENTALIS  
CONTRA ARGUTIAS

*Calvini, Kemnitii, Dallæi, &c.*

Anno nupero

TÜBINGÆ RECOCTAS,  
THEOLOGICE VINDICATA;

DEO AUSPICE,

SUB PATROCINIO

B. V. DEIPARÆ

IN COELOS GLORIOSE ASSUMPTÆ,

PRÆSIDE

P. CHRISTOPHORO KIRN, S. J.

SS. Theol. D. & P. P. O.

*Pro consequendo Baccalaureatus*

*Theologici Gradu*

PROPUGNATA,

à

D. JOSEPHO RITZLER, Edesheimensi,

AA. LL. & Philosophiæ Magistro, SS. Theol. & SS. Canon. Emer.

Reverendissimi & Illustrissimi Capituli Cathedralis Spirensis

Alumno Clerico, Semin. Elect. ad S. Carol. Conv.

IN AULA ACADEMICA UNIVERSIT. HEIDELBERGENSIS

*Die 7. Augusti 1751.*

horis matutinis consuetis

cum permisso superiorum.

Heidelb. typis. Joan. Jac. Hæner, Typ. Aul. Acad.

*Arcubus Pinterini*

L. B.

**C**atholicam de Sacramento Penit. Doctrinam in Collegiis Academ. Publ. hoc anno literario exposuimus, ita iubente usitato Studii Nostri Theologici Ordine. Inter illius Sacramenti partes est integra peccatorum omnium, & distincta, quantum fieri potest, accusatio sui coram Sacerdote à Fidei facta ad illorum remissionem potestate Clavium obtinendam ordinata. Hanc nos Confessionem Sacramentalem dicimus; auricularem appellitare lubet DD. Adversæ Doctrinæ Patronis.

Nos inter & Illos controversatur; an sicut Apostolis, horumque legitimis Successoribus Salvator noster potestatem dedit remittendi vel retinendi peccata Fidelium: ita ex Ejusdem Redemptoris institutione & præcepto remissionis gratiam obtinere non possit quisquam Fidelis, noxarum gravium sibi conscius, nisi exactam, qualem potest, de omnibus illis noxis Confessionem fecerit Sacerdoti, à quo absolutionis sententiam expectet? Nullam de tali Confessione extare Legem Christi, contendunt sic dictæ Reformat. Proto-Magistri, hodie dum contendunt eorum Sequaces. Visum est igitur hanc controversiam exponere paulò uberius. Materiam differendi dedit Opusculum sub anni nuper lapsi menses vernos divulgari ceptum, cui titulus: Antwortung der zwoölff brieffen &c. Partus iste Natale Solum proficetur Tübingam. Illustris aut obscuri Parentis suppresso nomine, cunas etiam Typographicas oc-  
cul-

cultat. Lineamenta ejus & indoles si cum aliorum eodem loco Natorum vultu & genio conferantur, communis ferè est persuasio, partum hunc quòque cum illis ætate paulò prioribus Eundem habuisse Progenitor in, Virum Grandem, qui non diebus sed annis erè 40. stetit contra aciem Domini. Mitior aliorum est conjectura. In memoriam istis redit Cresconius arte Grammaticus, professione Donatista. Hic sub V. Sæc. initium insolente & fallaci calamo aggressus est S. Augustinum, eoquòd S. Præsul Petilian, Cirrensis Donatistarum Episcopi Literas tribus Libris confutaverit. Pugnam restaurare non ampliùs auso Petiliano suppetias ferre voluit, sed infeliciter tulit Cresconius Grammaticus. Salvo proportionis moderamine, multorum opinio est, Opusculi memorati procosorem esse Magni inter Suos Herois armigerum quendam, qui illius artibus militaribus instructus, armisque munitus in arenam progredi ausus est succedaneus pugil, impare quidem robore pugnans, in hoc tamen non dispar, quòd tela adversa declinare, stratagemate non laudabili fallere, fastu contemptuque illudere studeat, & acerbis pugnare convitiis, quæ tunc maximè dicuntur, cum argumenta deficiunt, & morum sunt vitia. ita de viro Loc vaticinatus videtur D. Pfaffius in dissert. anno 1749. die 11. April. Scriptor ille stylo usus est tam crudè acerbo, ut mirum sit, quomodo Vir eruditâ exercitatione clarus calami hujus sylvescentis voluerit obsequiosas petere vel admittere suppetias.

Quisquis fuerit illius opusculi Author Anonymus, honorifico Dni Professoris Tübingani titulo eum compellabimus. An verò Evangelico-Augustanæ, an Reformatae Theologiæ principis insistant, dubitare fas est. Syncretico spiritu actum esse, arbitrantur non pauci, & ex ipsis DD. Protestantibus, critici sagaces & eruditi. Hoc certum, quòd in hac, quam agitamus, controversia iterum iterumque recoquat Cramben, cujus disjectas reliquias ex Calvinii L. 3. Inst. c. 4. Ex Martin. Kemnit. prærens. Exam. Trid. P. 2. collegit & 4. Libris auxit Joan. Dallæus non Augustano-Evangelicus, sed Reformato-Puritanus, anno 1676. vitâ functus.

Hi Viri, ex quorum armamentario D. Prof. Tübing. in Respons. ad Epist. inter 12. 7. timæ part. 2. dam potissima desumpsit argumenta. Singulis horum presso pede insistemus, tamen in ordinem magis dispositâ acie methodicâ. Aggressores non fuimus; sed provocati & invalidi. solo igitur utemur inculpata tutela, necessariâ defensionis, & licitæ retortionis naturalijure. Si ad calami pro antiquissima veritate pugnantis candorem Dnus Advers. biliarem paroxysmum deuo patitur, extra culpam nos ipse jam posuit. Respondeat ad ea, quæ scripsimus; & non iterum proponat, quæ non scripsimus; non avocet homines ab intentione debiti sui, ne id, quod respondendum est, ab eo exigatur; v. S. Aug. L. 3. contra Lit. Petilian. c. 25. Si ad argumenta Nostror. reddere velit prioribus suis similia convitia, videat, ne suasmet despumet confusiones v. S. Jud. v. 13. &c. His terri culamentis non moventur Viri. Ab hoc impugnantorum genere laudari probrosum, sarcasmi prosciendi gloriosum nobis est, nec amarum: Vix alia nobis reddere solent hi Adversarii. Assuevimus, Ab assuetis non fit passio. Dissimularis contumeliis privatis, pro veritate antiquissima stabimus, parati semper ad satisfactionem (ἀπολογία) omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe. Sed cum modestia & timore conscientiam habentes bonam; Ut in eo, quod detrahunt nobis, confundantur, qui calumniantur nostram bonam in Christo conversationem. vide 1. Petr. 3. v. 15. & 16.

CAPUT I.

Catholicum de Confessione Sacramentali Dogma in Verbo DEI  
Scripto fundatum.

§. I.

*Præceptum divinum de Confessione  
Sacramentali ostendunt verba  
Evangelica.*

1. **O**Rdimur, unde Clariss. D. Professor Tübinganus in suis ad Epist. 7timæ partem 2dam Responf. impugnandæ Confessionis Sacramentalis exordium ducere voluit pag. 189. „ Quid ergò, inquit, nunc dicendum de secunda pœnitentiæ Romanæ parte, Confessione auriculari, quâ omnia aut saltem mortalia peccatâ confiteri teneamur? Hoc est, quod dicimus, 1. de exactâ hâc peccatorum omnium enarratione, hujusque necessitate nihil extare in Verbo Dei, imò talem Confessionem illi esse contrariam. 2. Dicimus quoque, eam esse impossibilem. 3. Ecce! Oraculum Tübinganâ Cathedrâ dignum. Ordinatè cœpta minùs ordinatè prosequitur. Bipartiti hujus asserti partem priorem methodo, quam ab aliis dictatorio supercilio exigit, ordinatâ, exspectabamus illicò stabiliendam; sed mox partem sui oracu-

li alteram, & hanc quidem nonnisi calamo volante attingit, pluribus ad hanc ipsam non pertinentibus confuso ordine interjectis, quæ serie minùs turbidâ alibi nobis excutienda recurrent. pag. tandem 195. animum volatilem ad priora reducit: „Videmus, ait, auricularem, i. e. omnium peccatorum confessionem assumi probandam ex Scripturis. Duo afferuntur textus. ex Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata* & Matth. 18. v. 18. *quæcunque solveritis super terram.* &c. Ita planè, mi Dne! Ex utroque hoc Verbi Divini fonte, decretorium pro veritate, quam propugnamus, argumentum Vobis invincibile, ducit sacra Synodus Tridentina Sess. 14. de Sacram. Pœnit. postquam divinam institutionem hujus sacramenti cap. 1. declaraverat, Confessionis quoque necessitatem ita demonstrat c. 5. *Universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse à Deo integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere; quia Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: quò, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem illos in pœnis injungendis servare*

po-

potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie ac singillatim peccata ipsi declarassent. Ineluctabili huic sacrae Synodi argumento, non est, cur vel apicem adjicere necesse sit ad evincendam dogmatis nostri veritatem.

2. Quis iudex causam sibi non perspectam arbitratur? quis nondum perspicuè cognitam decretoriâ sententiâ decidit? in iudicio fieri necesse est cognitionem causæ. Vestri Melancthonis effatum est in Loc. Com. an. 1543. editis. tit. de Confess. *Non potest iudicium fieri, nisi cognitâ causâ.* idem agnoscit Calvin. l. 3. Inst. c. 4. §. 18. Christus pro fidelium lapsorum cum Deo reconciliatione sacerdotes constituit iudices, sui vicarios Matth. 18. v. 18. Joan. 20. v. 21. *Sacerdoti negotiorum celestium ministratio commissa.* Quis dicit hoc? Cælorum Rex: *quæcunque solveritis.* Quid huic honori potest adæquari? *iudex sedet in terrâ, Deus sequitur servum suum: & quidquid hic inferiùs iudicaverit, hoc ille superiùs ratum habet* ait S. Chrysof. Homil. 5. de V. Il. Vide etiam S. Hilarium Pictav. *Commentar. in Matth. c. 18.* S. Bernardum *serm. 1. in fest. SS. Petri & Pauli.* Cùm verò causa peccatoris intra secretum cordis abscondita ab homine iudice perspicuè cognosci non possit, nisi singillatim eo, quo fieri potest, candore & modo in sacri iudicis notitiam exponatur à Reo reconciliationis beneficium expetente, consuetaneum est, quod sicut jure Divino Apostolis,

horumque legitimis successoribus competit potestas judiciaria, remittendi aut retinendi peccata fidelium, sic eodem jure fidelibus læsæ Divinæ Majestatis Reis imposta sit obligatio integræ omnium delictorum confessionis faciendæ apud hos judices Dei vicarios, sine quorum sententiâ Dominus sibi reconciliari noluit servos suos post baptismum lapsos.

3. - Argumenti robur ut elidant aut eludant potius, diversas elabendi vias arripiunt DD. Adversarii. Inter eos, nescio an quisquam magis rectè aleam tentet D. Tübingan. pag. 195. interrogat, an confessarius ad Deum per pœnitentiam verè se convertentibus omnia peccata, quamvis singillatim non confessa, possit remittere in nomine Dei, qui omni peccatori pœnitenti ignoscit, & veniam indulgentiâque generalem annuntiarî jussit per Evangelium? R. Quo animi sensu recondito ista interrogas, D. P.? An de remissione verè per ipsum Confessarium tanquam judicem Dei vicarium suæ hujus potestatis libero exercitio faciendâ loqueris? an de veniâ à solo Deo jam impartita, per Confessarium tanquam purum præconem & caduceatorem aut internuntium huic pœnitenti annuntiandâ?

Si primum asseris, nobiscum sentis in uno, quod pridem de Apostolis & sacerdotibus scripsit S. Gregor. M. hom. 26. in Evangel. *Principatum superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam re-*  
la-



*laxent.* Nunc quoque cum eodem Magno Doctore ita subsumas necesse est: *Causæ autem pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda: videndum, quæ culpa præcessit, & quæ pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens per gratiam compunctionis visitavit, illos pastoris sententia absolvat.* Non verè remittit potiùs, quàm retineat peccata, qui potestatem judiciale[m] ad utrùmque sibi concessam liberè & authoritative exercens per seipsum non absolvit judiciali sententiâ: potestatem hanc judiciale[m] exercere ac sententiam ferre non potest, nisi penitus cognitâ interiori pœnitentis causâ; conclude, non quod lubet, sed quod vel ipsa sana ratio dictavit Melanchtoni & Calvino (v. n. 2.) & ideò per alias rimas elabi conantibus.

4. Si secundo sensu scribere tibi lubuit, Calvinum sequeris magistrum, qui in Evangelico Christi oraculo fundatum Tridentini argumentum ut declinet, callidè l. 4. c. 14. §. 18. negat, Apostolos & sacerdotes esse à Christo constitutos judices vicarios in hoc foro reconciliationis; ingeniosè finxit, esse præcones, internuntios remissionis à Deo jam impartitæ. At internuntius causæ à Principe supremo jam decisæ, sententiæ ab hoc jam latæ, reconciliationis ab offenso jam indultæ præco, uti ipse non remittit verè, ita (fateor) ad eum non pertinet priùs nôsse, quid remittendum, quid non remittendum.

Ediffere nunc D. Professor! Noster es, an  
Calvini? medium sanum & prudens non  
habes.

5. Sublevas expectationem nostram. eâ-  
dem pag. 195. & 196. tuam de hoc mentem  
paulò apertius declaras paritate admodùm  
speciosâ. „ Si Princeps humili rebellium  
subditorum supplicatione mitigatus univer-  
sale de veniâ decretum promulgari jubet,  
neceffe non est (inquis) ut qui gratiosum  
hoc decretum, Principis nomine, palam pro-  
clamat subditis, in singulorum quoque de-  
lictâ contra Principem patrata, & quidem  
singula inquirat: non requiritur, ut reflectat  
ad quidquam aliud, ac ad novæ submissio-  
nis, & præstandi homagii actum. &. Huic tuæ  
plausibili paritati ventosum addis epiphone-  
ma: *Die Gluckhauß ist richig.* Est talis in sensu  
Calvini falso, quem redolet, Melanctonem  
tamen habet authorem, & Kemnitium 2. par-  
te Examin: c. 5. novæ doctrinæ nacta pro-  
motorem. Pro tuæ nationis candore patrio  
non obscure prodis calamo, quod animo sen-  
tis. Annon cum tuis, quos pressè sequeris,  
magistris jubes discerni inter iudicium &  
functionem Ministerii Evangelici, inter remis-  
sionem peccatorum, & absolutionem ministe-  
rialem? *In iudicio necesse est fieri cognitionem:  
ast ministerium Evangelii est mandatum annun-  
tiandæ remissionis peccatorum, sive nota sint  
ignota; est testimonium divinæ absolutionis.* Ita  
Me-

Melanchton l. c. & Kemn. l. c. Alium tuæ paritatis hiulcæ sensum esse vel tu ipse non afferes; vel alius si est, cur involucris verborum ambiguis ludere amas? Et nos agnoscimus discrimen esse inter iudicium & Evangelii vestri Ministerium: iudiciariam peccata remittendi potestatem cum in vobis non inveniatis, nudo executionis & proclamationis ministerialis nomine vos, vestrosque utcumque solamini. Sed admiratione, dicam an commiseratione dignum, quod, ubi de potestate sacra pro salute mortalium, speciali Numinis beneficio, Apostolis & horum successoribus commissâ agitur, sive nesciatis, sive scientes nolitis discernere inter ministerium vicariæ potestatis prudenti arbitrio juxta leges à Principali latas liberè exercendæ, & inter ministerium solius annuntiationis, executionis. In rebus politicis inter utrumque ministerium, esse discrimen latissimum agnoscunt vel nationes Barbaræ non omninò incultæ moribus.

6. Prius illud magni alicujus Principis Legato, aut Pro-Regi in provinciâ, & huic subordinatitribunalium civitatûmque præfectis competit, & receptissimâ apud omnes gentes significationis proprietate ministerii rem, & honorabile nomen meretur: illud posterius non nisi ἀναλόγως, ὀνομάτως per externam quandam ad tribunalium aut Reipublicæ constitutos Præsides habitudinem publicis tantum præco-

nibus, satellitibus, sententiæ executoribus tribui quis ignorat?

7. Ministerium igitur *potestatis judicialis vicariæ* ad remittenda vel retinenda peccata à Salvatore Apostolis concessum esse, ex ipso Evangelii Codice si demonstravero, peccatorum quoque omnium Confessionem integram Sacerdoti faciendam, à Christo præceptam esse, evicero. Rem ipsam sic aggredimur. Sub duplici tùm *clavium* tùm *ligandi ac solvendi potestatis* metaphora Petro *Matth. 16. v. 19.* & omnibus Apostolis *Matth. 18. v. 18.* potestatem remittendi in Ecclesiæ bonum promissam, cum Apostolis non fore emorituram, nec emortuam esse, ultrò in suis etiam principiis dubitare nec Adversarii ausint. Hanc verò potestatem non stare in solo ministerio prædicandi, annuntiandi, & pœnitenti testandi remissionem à Deo jam factam, aut impœnitenti denuntiandi sententiam damnationis à Divino iudice esse latam, utriusque metaphoræ verba ex ipso vocum humano & vulgari usu clamant, & verborum ordo convincit.

8. Ostiario domûs cur committis claves? an ad denuntiandum, fores his manere clausas, illis ab ipso Domino apertas? an verò ut per seipsum claudendi, clausas tenendi, aut aperiendi potestatem officiûmque habeat; & re ipsâ aperiat, quibus aperiendas, claudat, quibus præcludendas pro ratione muneris censuerit?

rit? *Qui habet clavem David, aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit. Apoc. 3. v. 7.* Hæc Joanni mandâsse Christum, ut de ipso Salvatore scriberet, inter fideles nemo erit, qui neget. Ast quænam illa in Christo potestas clavium? Authoritatem judicalem sub clavium symbolo Excellentiæ Christi propriam, designatam esse, an dubitare potest, qui Christiani nomen non vanè jactat? Erubescetis, ei tribuere solum & nudum ministerium merè declarandi, cui à Deo apertum, cui clausum sit ostium. Claves autem sibi per excellentiam debitas Christus communicavit Petro & Apostolis, horumque successoribus; veram igitur solvendi & ligandi potestatem judicalem non quidem suam principalem, sed vicariam his ipsis impertivit. Vana est specialis commissio clavium, si ostiario vel inscio, vel nolente quisquam alius aditu, vel suâ manu vel aliunde aperto, ingredi domum possit. In vanum igitur claves cœlorum traditæ essent Apostolis, si quisquam peccator cœlum, ob culpam sibi occlusum, ingredi valeat, quod potestate clavium vicariâ ab Apostolis aperiri, aut clausum teneri voluit Christus. Argumentum hoc *κατ' ἀνθρώπων* ex clavium metaphorâ ductum pro dogmate Catholico nervosè demonstrando posuerat R. P. Seedorff. Edit. Germ. primæ fol. 301. Sed ad bolum hunc in suis Respons. obmutuit D. Prof.

9. Sensum literæ attende in metaphorâ

alterâ: quodcunque solveris: *Matth. 16. v. 19.*  
 quaecunque solveritis *Matth. 18. v. 18.* quis ibi  
 verborum sensus? an violentè obtorto li-  
 teræ collo ridiculus ille, quem in sæculo XII.  
 ita explosit Richard. Victorin. l. de potest:  
 lig. & solv. Extat quorundam sententia tam  
 frivola, ut ridenda potiùs quàm refellenda videa-  
 tur: putant enim, sacerdotes non habere potestatem  
 solvendi, sed ostendendi solutos. Sed nunquid Do-  
 minus dixit: quod solutum ostenderitis, erit solu-  
 tum? dicunt, sacerdotes non habere potestatem re-  
 mittendi peccata, cum Dominus hoc dicat: & di-  
 cunt, habere potestatem ostendendi remissa, cum  
 Dominus hoc non dicat. Quid hodie dicent  
 Dialecticæ imò Grammaticæ tyrones; si au-  
 diant has propositiones: alligo te: solvo te: sic  
 esse exponendas: annuntio, declaro, contestor  
 te esse ligatum; te ab alio esse solutum. Ridebunt,  
 crede, frivolum vocum Catachresin.

10. Ordinem quòque verborum Christi,  
 oculo non fallente, & animo sobrio intuere:  
 quaecunque solveritis in terrâ, erunt soluta & in  
 cælis. Sententiam veſtram in terris latam se-  
 quetur sententia Dei. Quid illo (Petro) po-  
 tentius? qui claves regni cælorum tam singulari-  
 ter accepit, ut præcedat sententia Petri, i sen-  
 tentiam cæli. S. Bern. Serm. 1. Fest. SS. Petri  
 & Pauli. adde verba S. Chryſ. ex nro. 2.  
 relata, & L. 3. de Sacerdot. sacerdotum vincu-  
 culum ipsam etiam animam pervadit, usque ad eò  
 ut quaecunque sacerdotes infernè confecerint, illa  
 la-

*eadem Deus rata habeat, & servorum sententiam Dominus confirmet.* Non dicit Christus quæ à me soluta fuerint in cœlis, vos soluta annuntiabitis in terris. Ordinem Verborum Christi qui introvertit, videat, ne mendacii arguat vel Evangelistam, vel ipsum Salvatorem: introvertit, quisquis promittentis & potestatem Apostolis committentis verba torquet ad declarationem sententiæ non in terris latæ per Apostolos prius, sed a solo Deo factæ in cœlis.

II. Verax & fidelis in promissis Salvator, quam Apostolis promisit potestatem adhuc mortalis, contulit à morte redivivus. *Quorum remisistis peccata, remittentur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* Copiosa argumentorum seges ex unicâ hac Domini periodo nobis nascitur. 1. Famulus domesticus debitoribus Domini remissionem petentibus, & à Domino jam factam esse, ex Heri mandato annuntians an ipse remittit sortem Domino debitam? 2. Tempora in verbis Christi diversa si nôsti discernere cum Grammaticis, agnosces, remissionem peccatorum esse dandam in cœlis, si prius per sacerdotem facta fuerit in terris. Tritis grammaticæ principiis violentiam infert, qui verba Incarnatæ Veritatis detorquet in potestatem sacerdotalem declarandi in terris, quod Deus huic pœnitenti jam remisit in cœlis. An non à Christi verbis planè dissona, & ideò falsa est vestra hæc expositio: *quorum Deus peccata remisit, vos*

remissa esse annuntiabit? 3. Cur loco S. Joan. laudato Salvator dixit: *quorum*. Particula hæc relativo-demonstrativa & restrictiva est, proin non ad quoscunque extenditur, sed ad certos ac determinatos limitat remittendi potestatem Apostolis hoc loco concessam: nam dedit simul potestatem *retinendi*, igitur voluit, ut non remittant omnibus, sed quibusdam retineant, aliis remittant, quibus scilicet remittenda aut retinenda esse peccata, judicaverint. Illimitatum econtrâ, & ad omnium promiscuè, etiam impœnitentium & infidelium utilitatem extensum erat mandatum prædicandi Evangelicas tum doctrinas tum promissiones *Lucæ 24. v. 47. & Marci 16. v. 15. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* 4. Ad quid planè singularis ille agendi & loquendi ad Apostolos modus Joan. 20. v. 21. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum: quorum remisistis.* An insufflando & inusitatâ hæc ceremoniâ conferendo Spiritum Sanctum, non dedit donum & ministerium aliud nisi annuntiandi, peccata fidelibus remitti, infidelibus retineri? Quid hoc magni fuisset? quid singulare? quod vel Infideles, modò Evangelicæ lectionis gnari sint, imò vel ipsi infernales spiritus possent perficere? 5. Cur dixit: *ecce! ego mitto vos, sicut misit me Pater?* Si annuntiare peccatorum remissionem à Deo jam factam, est peccata

re-



remittere, an & ipse à Patre missus est non cum  
 Judiciali verè per seipsum absolvendi & remit-  
 tendi peccata potestate, sed cum nuda promissæ  
 & à Patre jam indultæ veniæ, per seipsum tan-  
 tum annuntiandæ facultate? Hæc Pharisæo-  
 rum blasphemia erat in Christum, peccata Pa-  
 ralytico remittentem conjecta, Lucae 5. v. 21.  
*quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Hanc  
 Ei negabant. Calumniatores repellere potuissent  
 unico verbo: neque ego, quem videtis, potesta-  
 te meâ, dimitto, sed divinam remissionem huic  
 homini annuntio. Non ita Salvator. Repentino  
 sanati paralytici prodigio demonstravit, *quod*  
*filius hominis habet potestatem in terrâ dimitten-*  
*di peccata.* 6. Dicant DD. Augustano-Evange-  
 licæ: illud Matth. 28. v. 18. *data est mihi om-*  
*nis potestas in cælo & in terra.* illud Joan. 5. v. 27.  
*potestatem dedit ei iudicium facere.* Hoc de Chri-  
 sto tantum ut Filio Dei, an etiam ut Filio ho-  
 minis intelligenda volunt? Si tantum ut Filio  
 Dei, cur Joan. loc. cit. addit. *quia filius homi-*  
*nis est.* Si non tantum per essentiam Divinita-  
 tis, sed etiam per excellentiam ex Unionem hy-  
 postaticâ sibi propriam hæc ei potestas competit  
 ut Filio hominis: cur DD. Adv. ex omni potesta-  
 te, quam Dominus à Patre sibi datam testatur,  
 non tantum illi ut Homini concedent pote-  
 statem & principalitatem Excellentiam per seip-  
 sum remittendi peccata in terris, sed ejusdem  
 quoque potestatis prærogativam & authorita-  
 tem Vicariam conferendi in Apostolos? *Pater.*

omnifariam filio potestatem dedit; video ipsam eandem omnifariam potestatem a filio illis (Apostolis) traditam. Pater omne iudicium dedit filio Joan. 5. v. 27. ceterum video omne iudicium à Deo filio illis traditum. S. Chrysoft. l. 3. de sacerdotio. C. 6. Cùm igitur Apostolos mittens, sicut ipse à Patre missus est, dixit: quorum remisistis peccata: non dedit sterile & infirmum remissionis annuntiandæ ministerium, sed iudiciale potestatem vicariam per seipsum, suæque autoritate sibi concessa verè remittendi aut retinendi.

12. Si absolutio à Confessario impartita non est actus & sententia iudicialis, sed annuntiatio Evangelicæ promissionis & Divinæ remissionis, ad quid ista annuntiatio servit? ad justificationem peccatoris? quid justificatio? Lutheranis æquè ac Calvinianis est non imputatio peccatorum, est imputatio iustitiæ Christi. Quodnam huius justificationis medium proximum? solam illi, asserunt, esse fidem specialem sive firmam huius aut illius de seipso hominis persuasionem, in se impleri promissiones divinas, sibi à Deo non imputari peccata, imputari iustitiam Christi. Hæc vestra sunt dogmata. Quibus politis (dissimulatâ eorum vanitate) quæro, quem effectum habet absolutio vestra? nunquid præteritam illam fidem pœnitentis justificantem, declaratione generalis promissionis Evangelicæ excitatam? Sed quomodo hunc

effectum habet surdus a nativitate, qui ad hanc fidem excitari nunquam poterit, etiam si Minister pleno guttore absolutionis vestrae verba inclamet? Quid si poenitens ipse has promissiones legat in Evangeliorum sacro Codice, annon sine ministerio Prædicantis eadem in illo fides excitari poterit? Et easdem promissiones divinas annuntiare, & per harum declamationem ad eandem planè fidem excitare an non possunt Laici, Pueri, Fœminæ, Hæretici, Judæi, Gentiles? si absolutio & remissio peccatorum stat in simplici annuntiatione promissionis, cur isti absolvere ac peccata remittere minùs possint, quam vestrae Ecclesiae Ministri? Sequelam ut ut absurdam non admittit modò, sed velut novi sui Evangelii veritatem venditat Lutherus in Postillâ Dom. 1. post Pascha. *Cuilibet Christiano Christus non tantùm jus vel potestatem clavium tribuit, sed etiam mandat & præcipit cuilibet earum usum...* & infra ait: quod *cuilibet Christiano, si credat* (solum enim credentem ibidem dicit Christianum) *habeat potestatem retinendi vel remittendi peccata.* Eandem potestatem in ipso adeò *Diabolo* veneratus est *lib. de missa privata* anno 1534. Idem utique posset Diabolus, quod præcones illi, qui judiciariâ legitimâ destituti potestate conantur remittere peccata. Hoc manifestè fuit ex hypothesis Lutheri, Melanctonis, Kemnitii, & Calvinii, totam absolutionis substantiam,

virtutem & efficaciam ponentium in nudâ & sterili annuntiatione promissionis & remissionis à Deo jam factæ.

13. Explodes ista D. Prof. Explode, quæ ex triplici Evang. loco duximus, momenta. Recoque, quod vanâ sine viribus irâ, non tamen sine dictione Rdo. P. Seedorff, apertissimis Magni Augustini verbis in novitios prærensæ Reform. Authores scribenti reposuisti pag. 198. Es behaupten ja die Evangelische wider die Reformirte / daß die Absolution nicht nur ein Anzeuße der Vergebung der Sünden / sondern ein würckliche Vergebung derselben seyn. Wie kan dann der Herr Pater diese beyde Lehrer (Luther. Melanchton) Meuling schelten / die hier von der Beicht mit Augustino disputiren wollen? Warum weiß man gegenseits die Meinung unserer Kirch nicht besser / wann man wieder dieselbe disputiren will? Hæccine, D. Prof. tota est solutio argumenti à R. P. Seedorff ex S. Augustino oppositi? Lutheri de hac controversiâ doctrinam antiquitati sacrae oppositam quis ignorat? si aliud est vestrum dogma ostende. Nos fanè Melanchtonis locos & verba *nro. 4.* dedimus. Augustano - Evangelicæ Ecclesiæ membra, imò an non Capita fuerint isti novi Evangelii præcones, Tu noveris. Horum & Calvinii de absolutione mens, opinio, & calamus in quo à se invicem, in quo discrepant à sensu tuo? in quo falsum à falso, ovum ab ovo. Absolutionem ex institu-

tio.

rione Christi esse sententiam judicialem, perfrictè negat Calvinus l. c., negant Melancton, Kemnitius. Esse meram annuntiationem remissionis in Evangelio promissæ, mordicùs ruetur Calvinus; itidem Melancton in Apolog. C. A. art. de confess. scribit. *absolutio est executio alicujus beneficii, non est judicium.* & in locis suis anno 1553. tit. de conf. *ministerium est testimonium divinæ absolutionis.* Kemnitius 2. part Exam. ad c. 5. de pœnit. *rectè pronuntiat discriminem esse inter judicium & functionem ministerii Evangelici: in judicio juxta causæ cognitionem pronuntiat... ministerium verò Evangelii mandatum habet, annuntiandi & impartendi alienum beneficium, Christi scilicet.* Ecce idem Calvini, idem & Vestrorum sensus Magistrorum. Qualis modernæ Ecclesiæ vestræ sit de hâc controversiâ sensus unanimitis, quis divinabit? Ecclesiam vestram Variationibus natam, iisdem innutritam & adolescentem, qui nescit, vel solum adeat illustr. Bossuetum L. de Variat. Confessiones vestras mutare, easque verbis ambiguis involvere vobis est hæreditarium. In præsentî Logomachiam non exercemus; sensum & rem quærimus. Categoriçâ igitur verborum perspicuitate enuntia, quid sentias; an Confessarius absolvens ex institutione Christi concessam sibi potestatem judicialem vicariam autoritativè exercent, & per seipsum ferens sententiam suam, pœnitenti culpæ debitum remittit

tat ac deleat, Deo hanc remissionem habente ratam; an verò solius executionis & nudo præconis ministerio fungens, declaret tantùm ac testetur remissionem peccatorum huic pœnienti à solo Deo jam factam? Alterutrum affirmes necesse est. Viam mediam Proto-Magistri tui non invenerunt, nec tu invenies. Postremam dilemmatis partem si amplecteris; vanæ & inanes sunt querelæ tuæ superiùs notatæ; vana & inanis differentia vestrum inter & Reformatorum de absolutione sensum & rem ipsam à vobis assertam. Si partem dilemmatis priorem admittis, damus dexteram nobiscum sentienti. Si non admittis, argumento irrefragabili hætenùs discussa denuò complectimur: Ministerium Christi à Patre missi, non erat meræ annuntiationis & declarationis, peccata esse à Deo remissa, sed potestatis & auctoritatis per seipsum remittendi peccata: *suum eis (Apostolis) relicturus erat ministerium, & cum nondum rogasset Patrem, suâ eis auctoritate potestatem præbet: insufflavit enim, & dixit: accipite Spiritum Sanctum, quorumcunque remiseritis peccata... quemadmodum enim Rex NB. Præfectos (non meros præcones, aut satellites) mittens, ut in carcerem reos intrudent, & ut liberent, NB. potestatem præbet; ita Jesus discipulos dimittens, hæc munit NB. auctoritate.* S. Chrysoft. hom. 85 in cap. 20. Joan.

§. II. *Eadem veritas declaratur ex Actis & Literis Apostolicis.*

14. D. Prof. pag. 196. notat, nos provocare ad Acta Apostolorum. 8. Sic est, mi Domine! Confessionis, de quâ agimus, apud Sacerdotem faciendæ usum sub ipsa nascentis Ecclesiæ exordia inter fideles viguisse, declarat S. Lucas Act. 19. v. 18. *multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.* πολλοί τε τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο, ἑξομολογέμενοι, καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν. Syriacâ versio ponit: *plurimique, qui crediderant, veniebant nuntiantes offensas suas, confitebanturque, quod fecerant.*

15. Quatuor hic notanda veniunt. 1. eos, qui confitebantur, fuisse jam baptizatos: hos enim phrasi per usum frequentem sibi appropriatâ *fideliū* nomine designat N. T. Codex sacer. Actor. 4. v. 32. Actor. 5. v. 14. Actor. 11. v. 21. ad Ephes. 1. v. 13. 1. Thessal. 1. v. 7. & c. 2. v. 10. 2. *Actus suos, offensas*, vel ut ipse Beza in Annotationibus ad Actor. 19. *errata sua* confitentes: non tamen genericâ hâc accusatione (*peccatores sumus*) sed in specie annuntiabant actus suos. Actus Apostolorum scripsit S. Lucas, non profectò in genere tantum: applica ad præcedentia. 3. Non soli Deo, sed homini; Paulo utique, de seipso & aliis sacerdotibus dicenti: 2. Cor. 5. v. 18. 19. *dedit nobis Deus ministerium reconciliationis... posuit in nobis verbum reconciliationis.* 4. Ad confessionis & reconciliationis sacerdotalis remedium properabant, scientes utique, hoc lege divinâ

statutum; nam confessionis præceptum aliquod sæculo jam primo ab *Ecclesiâ* sancitum esse, non asserent DD. Adversarii, ne sibi ipsis contradicant, dum hoc præcepti jugum sæculo tandem 13. à Pontifice Innocentio III. Fidelibus primò injectum esse, fingunt. Hæc nuda an sint asserta, videamus ex iis, quæ opponenda solvemus.

16. Multa sunt, quæ huic Actorum loco nobis extorquendo, aut enervando accumulat D. P. T. in Respons. ad Epist. 4. pag. 116. scribens „ per *actus suos* quos confitebantur, ex mente Chrysofomi, intelligi benedictiones, quas in prædicatione Evangelii habuerant. &. Quia nec locum ullum ex S. Chrysofomo notas, tanti viri autoritas te non sublevat, nec nos ad eam tuendam obligas. Tuebimur tamen, sed ad tuâ confusionem. Deinde quis non rideat, si audiat dicentes, quod *actus sui* sint benedictiones. quas ipsi in prædicatione Evangelii habuerant. Utique benedictionis Divinæ fructus erat compunctionis gratia, dum veritatibus æternis ex Evangelicâ Apostoli prædicatione perceptis, & in memoriam revocatis, Deus loquebatur ad cor, excitans ad quærendum reconciliationis remedium à Christo fidelibus lapsis statutum; sed an ideò non confitebantur peccata sua, sed dona divina? qualia verè sunt benedictiones.

17. Quæ tunc miræ rerum circumstantiæ? Pervulgatis prodigiis per Apostolum factis,  
&



& per sola etiam Pauli sudaria & semicinctia liberatis præsertim energumenis, Judæi quidam perversi nomine *Jesu & Pauli* ad faciendum quæstum tentabant & ipsi ejicere *Spiritum nequam, sed insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illâ v. 16. hoc autem notum factum est omnibus Judæis atque Gentilibus... & cecidit timor super omnes illos. v. 17.... multique credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. v. 18. Qui impiorum pœnis conspectis, timore Dei vindicis concutiuntur, non annuntiant benedictiones suas, sed contendunt ad abolenda delicta, quæ sola provocant vindictam Divinæ justitiæ. Qui ad pœnitentiam trahi volebant cognitis Divinæ beneficentiæ prodigiis per Paulum patris, currebant tandem aliorum territi suppliciis. Nunc, mi Domine! ad quem provocaveras, audi S. Chrysof. tibi minimè suffragantem hom. 41. in idem cap. 19. Actor. & verb. cit. *non sic homines convertuntur per utilia, sicut per terribilia. Ubi dum de Saphira mentio fuit, timor irruit super Ecclesiam, & non audebant adhærere illis. Hic sudaria & semicinctia, (Pauli Act. 19. v. 12.) accipiunt & sanant. & post hæc (ubi v. 16. viderunt pœnas impiorum) veniebant confitentes peccata sua. v. 18. Ruit ergò, quam pag. 196. statuis primariam tuam evasionem, per actus ibi non intelligi peccata omnia, uti in Oratione Do-**

minicâ petimus debita nostra omnia & singula dimitti. Ruit altera evasio, per actus ibi intelligi opera bona.

18. Quinam illi qui annuntiabant actus suos? Inter hos *multi ex eis, qui curiosa sectati, attulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* v. 19. Non omnes, qui actus suos confessi sunt, attulerunt quoque libros, sed illi, *qui curiosa sectati fuerant.* Unde cognovit Paulus, illos & non omnes fuisse *curiosa sectatos*, ut libros superstitionis tractantes comburi jussit? Unde noverat? Nisi, quia τὰς πράξεις αὐτῶν suas quique actiones malas, cum specierum diversitate aperuerunt confitentes? Non igitur aliquas, nec generatim, ut comminisci libuit Kemnitio part. 2. Exam. Calvino in comment. ad Act. & Magdeburgensibus. Cent. 1. L. 2. c. 2. ? Quorum tamen expositio in hoc præ tuâ magis congrua est, quod *per actus suos, non benedictiones, sed actiones legi divinæ non congruas proinde peccata* indicari, admittant. Haud minori tamen violentiâ torquent sacri Historici Literam & Literæ nexum, quòd non omnia & singula delicta, sed generatim confessos, exponant. Hos viros, Primates vestros è Protestantium numero si non excludas, quomodo pag. 196. dicere poteras, erroneè à nobis præsumi, eandem, quam ex Kemnitio vestro notavimus, esse solutionem Protestantium primariam? Aliis in angustiis cum ad eandem confugas rimam, uberius suo

loco occludendam differimus. Meditare interim, quomodo solvas nodum argumenti, quem tuæ *benedictiones* non evolverunt.

19. pag. 116. „ Si tamen, inquis, exponere lubeat de peccatis, quæ ante Baptismum commiserunt (ut volunt Athanasius, Eusebius, Basiliius, & Beda) ex ipsâ Romanæ Ecclesiæ doctrinâ constat, confessionem horum non exigi à Baptizandis, sed Baptizatis. &c. Quia nihil Libri, nihil loci, nihil verbuli ex Patribus laudatis notâsti, præter verba nihil sunt verba tua. Quis in Literis Sacris non omninò peregrinus, ignorat, nomine *Credientium* ex ipso Hagio-graphiæ N. T. usu significari fideles, Baptizatos? Id num. 15. demonstratum. Imò hoc Actor. c. 19; v. 17. & 18. Judæis & Gentilibus S. Lucas opponit illos, quos refert, venisse, *annuntiantes actus suos*. Super omnes tùm illos tùm istos cecidit timor: Nec tamen Gentiles & in Judaismo adhuc obstinati, sed eorum, quos infidelibus sacer textus opposuit, multi venerunt confitentes; adde: quod fons græcus ponat: *πεπιστευκότων*, qui crediderant, non qui tunc primò credere incipiebant. Si etiam sermo esset de Gentilium & Judæorum conversione, & baptismo tunc modò ab his suscipiendo, cur de hoc Sacramento S. Lucas filet?

20. Porrò, inquis, eâdem pag. 116. „ Confessio ista erat liberrimæ voluntatis, nullo imperata præcepto, præsertim cùm non Sacer-

doti, sed publicè confessi sint. „ R. Plura denudò congeris & colludis cum *Calvino* Comment. in Act. 1. c. dicente: *isti spontè prodierunt, Papa necessitate omnes obligat.* addit: *Lucas multos venisse dicit, non omnes: in lege Papæ nulla exceptio. Isti coram omni cætu se humiliârunt Deo.* sed *Calvino* respondit *Bellarminus* l. 3. de pœnit. c. 4. *Sed has calumnias planè leves ac pueriles nullo negotio dissolvemus.* Voluntate, nullo præcepto Ecclesiastico tunc obligatâ, confessi sunt illi Ephesii; nullum enim tunc extabat de certo confessionis tempore præceptum Ecclesiæ, quale nunc; nec purè Ecclesiasticum de ipsâ confessione quoad substantiam, quale nec *ab Ecclesiâ* primò conditum nec nunc extat. Debuiſſes igitur (in quo uno quæstionis cardo vertitur) probare, quod nec tunc extiterit præceptum *divinum* de Confessione, reconciliandis cum Deo fidelibus necessariâ. Quot leges naturales, quot divinæ extant? Eas qui aut negligunt aut observant, an citra liberæ voluntatis usum aut agunt, aut omittunt imperata vel prohibita? quantus est Nostrorum numerus, qui etiam extra temporis Paschalis terminos liberrimâ voluntate ad hoc Sacramentale tribunal accedunt, ut expientur à noxis, quarum vincula non nisi Sacerdotali sententiâ dissolvi, certissimè credunt? an ideò negant Jure divino Fidelibus graviter lapsis necessariam esse confessionem sacramentalem?

21. Ast Ephesios illos non sacerdoti, sed pu-

publicè confessos prætendis? & quâ authoritate? quâ nîsus verisimili ratione id obtrudis? solenne vobis & Calvino axioma est: *nihil affirmandum, nihil credendum, nisi quod scriptum.* Illud tuum assertum non est scriptum à sacro Historico. Conclude. Demus tamen, quod inspectante, quia & audiente cœtu universo se humiliârint, annuntiando noxas suas; an ideò ad Pauli aures & notitiam non direxerant Confessionem? an proptereâ vel à cœtu fidelium, & non ab Apostolo, an à solo Deo citra sententiam Pauli judicantis, suorum expectabant & accipiebant erratorum veniam? Nihil horum refert sacer Historicus: cur tu ex placito tuo? Nostrâ etiamnum ætate Catholici plerùmque ad pedes sacerdotis prostrati confitentur noxas in templo publico, inspectante populo, Vestris haud rarò inter Nostros præsentibus: sacerdoti tamen & integrè confitentur, & ab hoc Christi Vices gerente sententiam expectant. Ad Confessionis à Christo institutæ & præcepti Divini, illam fidelibus lapsis imperantis, substantiam pertinet dolorosa accusatio sui de omnibus ac singulis peccatis: ast an secretò apud solum sacerdotem, an (ita ad spontaneam humiliationem volente pœnitente) etiam aliis audientibus fiat, ad solum pertinet modum accidentalem, quem modum posteriorem Christus non vetuit nec imperavit. Hæc uberius videris declarata à Trident. Sess. 14. C. 5.

22. Mutatâ mente paulò magis indulgentem se nobis præbere dignatus est D. Prof. cuius nunc differendî seriem sequimur. pag. 196. non jam benedictiones pro objecto ac materiâ Confessionis Ephesinorum obtendit, sed „textus, inquit, commodè potest & debet intelligi de fidelibus, eorûmque in ministerio Evangelii functionibus, adeoque de *operibus bonis*. R. Lineis vix 14. interjectis, quid connexè sentias, an tibi dissentias, obscurum est. Ita subjungis: „Si etiâ hic loci sermo esset de Confessione peccatorum, non tamen esset de Confessione aliquâ Sacramentali, quæ sacerdoti tantùm fieri potest, (bene dicis & hanc solam ipse fateris esse sacramentalem) „isti enim Ephesini de quibus hic scribitur, omnibus annuntiabant, quæ egerint, aut perfecerint. R. Quæ ista? an de quibus supra dixeras, *functiones aut labores in ministerio Evangelii* esse confessos? ergone has functiones Evangelicas annuntiârunt confitentes, *si etiâ* (uti ipse ponis) *ibi sermo esset de confessione peccatorum?* (adverte nexum tuorum, quæ paucis lineis interpositis non omninò sejungis: hæc donec clariore sensu mentem exponas.) Quis non iudicabit, teipsum fateri, functiones ministerii Evangelici, & peccata confiteri tuòmet sensu unum idemque significare. Siccine vestri Evangelii functiones dicis esse peccata? si id nostrum esset assertum, quid non intorqueres? Tuum est.

23. Quas ad argumentum ex Actorum c. 19. petatum evagationes, quæsit, D. Prof. sic terminat pag. 116. *Das macht auch / daß Calmet sagt / man könne aus diesem Spruch die Obrenbacht nicht erweisen. R. Jam diximus vro.* 21. ad substantiam Sacramentalis Confessionis non pertinere, aliis simul audientibus, an soli sacerdoti, modò huic de omnibus peccatis singillatim enumeratis, fiat. Hanc præcepto Divino sancitam esse, ex hoc Actorum loco eludicârunt, magnus ille Novitatis vix natæ impugnator, Eminentiss. Hofius, Cæsar. Baron. Robert. Bellarmin. Cardinales, Ruard. Tapperus, Joan. Gagneius, hic Parisinæ, ille Lovan. Acad. Cancellar. Alphon-sus Salmeron, Gregorius de Valentiâ &c. horum aliorumque virorum illustrium hoc, quod tractamus argumentum, si infirmum fuit, cur Proto-Magistri Vestri, Calvinus, Beza, Kemnitius, Magdeburgenses & sub sæculi nuperi medium Joannes Dallæus, Dno P. tritissimus, cur sua ingenia & S. Lucæ literam tam varios in sensus torquere conati sunt, ut illum in sua critiria diversimodè deflectendo saltem aliquid fecisse, suorumque animos ut-cunque sopuisse videantur?

24. Ut nihil tuorum negligamus, mi Dne! inquirendum restat, quomodo pag. 118. dissolvere coneris illud Jacobi 5. v. 16. *confite-mini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem.* Quod Apostolus hoc loco ad Con-fel-

fessionem peccatorum, & quidem non Deo soli, sed homini quóque faciendam hortetur, clamat litera. Ad qualem, & cui, vel quibus? Suæ authoritatis pondere citra ullam solidæ probationis apparentiam compendioso Oraculo lite m ita decidit D. P. ,, ibi Jacobus loquitur de Laicis, quod oporteat alterum rogari ab altero, ut sibi ignoscat & condonet, siquid forè offensionis frater fratri dederit. &. Cur ad stabiliendam hanc expositionem non provocavit saltem ad alios viros Novæ Ecclesiæ, sibi suóque ævo priores? ignorare non poterat eandem omninò expositionem esse Philipp. Melancht. in Apolog. Conf. art. de confess. & satisf. Joan. Calvini. l. 3. Inst. c. 4. §. 12. & in annot: ad hunc S. Jacobi locum? Horum saltem authoritate qualicúnque cur non fulcivit suam expositionem?

25. Interpretationem planè arbitrariam nullo momento rationabili firmatam, quia levi manu negligenter projecit D. P. nos quoque calami & operæ pretium esse, non censemus, ei confutandæ inhærere. Ipse Sacrorum versuum 14. 15. 16. cohærens nexus ostendit oppositi asserri nuditatem. Hanc uberrimè & solidè detectam videre lubeat apud Em. Bellarm. l. 3. de pœnit. C. 4. apud Eruditiss. Cornel. à Lap. ad hunc S. Jacobi locum. De Confessione apud sacerdotem, proinde Sacramentali, illum exposuère Patres & Doctores Vestrà Reformatione multò an-  
ri-



riquiores. Origenes hom. 2. in caput 1. & 2. Levit. S. Chrysoft. l. 3. de Sacerdotio. S. Bernard. de Meditat. c. 9. Hugo à S. Victore. l. 2. de Sacramentis. p. 14. c. 1. Suffecerit ex Sæculo VIII. vel solius venerabilis Bedæ retulisse verba ad Epist. S. Jacobi. *In hac Jacobi (c. 5. v. 16.) sententiâ debet esse discretio, ut quotidiana leviâque peccata alterutrum coequalibus confiteamur, ut orent pro nobis: sed gravia juxta legem sacerdoti pandamus, ut ab eis nos absolvat, quod Laici facere nequeunt.*

26. Gemino hoc §§. Catholicum de Confessione Sacramentali à Christo institutâ, ejusque jure divino fidelibus lapsis necessitate dogma probavimus ex Verbis Salvatoris, declaravimus ex Actis & Scriptis Apostolicis, ut pateat, jure an injuriâ dictum sit de Confessione auriculari ejusque necessitate: nihil de eâ extare in Scripturis. DD. Adv. effugia, Sacrorum textuum con- & distorsiones excussimus, ut consideratis omnibus æquus Lector judicet, an Theologis Catholicis, an potius DD. Adversariis conveniat acerbum illud epiphonema Calvinii in comment. ad C. 19. Act. Apost. *En! quàm dexterè Scripturas ad probandas suas fallacias accommodent.*

§. III. *Confessio Omnium & singularum peccatorum non contrariatur Scripturis, nec est impossibilis.*

27. **U**trúmque calamo decisivo asserit D. P. Tüb pag. 189. Ubi autem & quomodo consolidat suum assertum? Probationem prioris nullibi ab eo nobis indulgam dolemus, nisi id fortè probare tandem contendat pag. 199. & his quidem argumentis denso, sed confuso agmine conglobatis.

„ Quærimus, inquit pag. cit. an ergò omnes illi, quibus Christus peccata remisit, etiam omnia sua peccata prius fuerint confessi? Ut negativam demonstraret, ex Scripturis miro hoc ordine inducit exempla: Mulieris peccatricis veniã donatæ, quamvis non omnes noxas prius confessæ. Lucæ 7. Filii prodigi generatim tantùm confessi & reconciliati. Lucæ 15. v. 21. Publicani ad solam deprecationem generalem iustificati Luc. 18. v. 13. 14. Petri citra confessionem per solas lachrymas gratiam remissionis consecuti. Matth 26. R. Antequam expendamus singula, liceat etiam nobis quærere, mi D. P. ! quo titulo Filium prodigum & Publicanum ex Luc. c. 15. & c. 18. accenseas & immisceas numero eorum, qui ex Sanctissimo Christi in hâc mortalitate visibiliter agentis ore audiverunt remissionem peccatorum, sibi

sibi ab eo impartiri? Nescis (quis ignorantiam præsumat?) utrumque induci parabolicè? Ex parabolâ autem nihil firmum adduci potest, nisi quod ejusdem scopo, & quatenus proposito loquentis deservit, atque ideò non est extendenda ad alia à scopo illo aberrantia, quæ nonnisi durè & violentè applicantur. Vide Salmeron. tom. 1. prolegom. 11. can. 16. In utrâque aut alterutrâ hâc parabolâ, nec remotus quidem erat scopus docendi, an & quâ Confessione, an coram sacerdote N. L. integrè & specificè vel generatim faciendâ consequi veniam debeat homo Baptismo Christi baptizatus? Parabolam priorem præcedentia & alteram consequentia attende; non exculpes, quod intendis. Salvator cum peccatoribus suavi benignitate agens, eosque pœnitentes recipiens cognovit Luc. 15. v. 2. murmura Phariseorum: Deo gratum hoc esse spectaculum ut doceret, triplici utitur parabolâ; 1. ovis perditæ, inventæ & reportatæ: nunquid hæc prius saltem generatim debuit confiteri? 2. Drachmæ amissæ & diligenti sollicitudine inventæ: quid hæc drachmâ prius egit? 3. Filii prodigi, quem pœnitentem Pater benignè & cum gaudio recepit in gratiam, quamvis obloquente Filio seniore. Hic parabolæ, inquit in hunc locum Theophilactus, *scopus est, propter Phariseos obmurmurantes, quod peccatores susciperet, docere, quod, etiamsi justus simus, non*

repel-

repellendi sint peccatores, neque obmurmurandum, recipiente illos Deo. Vanè igitur jactas, quòd, commatis aliis narrationi parabolicæ ad decentiam pertexendæ causâ interjectis, Salvator ibi voluerit tradere modum, quo pœnitentiæ remedium sit suscipiendum à fidelibus post Baptismum lapsis; qualem confessionem peccatorum velit fieri, aut qualem admittere ab Ecclesiæ suæ tunc necdum fundatæ membris post Ascensionem suam aggregandis.

28. Quia ultra hujus parabolæ scopum te provexit opinandi & arguendi lubido, liceat & nobis te imitari tantisper, sed retorquendo. Ex hâc parabolâ conaris extunderè, sub Lege Christi ad reconciliationem cum Deo sufficere confessionem superficialiariam ex parte pœnitentis. An non pari vel jure vel libertate ex ejusdem parabolæ fluxu deduci poterit, quid etiam nunc requiratur ex parte Ministri, vestro sensu remittentis peccata scilicet (juxta Melanchtonem & Kemnitium) declarantis & restantis à Deo esse remissa, & pœnitenti imputari justitiam Christi? Sic igitur imitemur tuum arguendi modum: Pater prodigum generatim confessum ubi primùm recepit in gratiam, mandavit famulis, in signum & pignus reconciliationis afferre *stolam primam, dare annulum in manus ejus, & calceamenta in pedes.* Lucæ 15. v. 22. DD. Ministri vestræ Ecclesiæ fatentur, se habere Ministerium so-  
lius

lius executionis eorum, quæ ad veniam à solo Deo jam datam signo externo declarandam requiruntur, ergo quoties suos generatim confessos audiêrunt, toties etiam deberent exequi, quod Pater Prodigii reconciliati Famulis ministeriali obsequio exequendum mandavit: deberent singulis dare stolam candidam, annulum, calceamenta: secùs verò si agant, contrariantur Evangelio. Stolam verò non tribuunt suis Confessis, quin potiùs ab his Ipsi recipiunt nummum confessionalem. De hoc autem quanta, & denario pondere inter plures ejusdem Ecclesiæ vel communitatis Ministros alternativos potest oriri colluctatio? & quæ non orta?

29. Æque incongruè cum Calvino. L. 3. C. 4. §. 18. huc introducis Publicanum. Nam & hunc parabolicâ locutione proponi, legis, Luc. 18. v. 9. *dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi.* *πεποιθότασ ἐφ' ἑαυτοῖσ, ὅτι εἰσὶ δίκαιοι* *persuasos in seipsis* (fidem specialem fiducialem habentes) *quòd essent justì, & aspernabantur cæteros, parabolam hanc.* Parabolæ finis non alius, quàm retundere Pharisæorum superbam jactantiam, cui Dominus opponit humilitatis dignitatem & utilitatem, ut docet S. Aug. Serm. 36. de Verbis Dom. qui istud hausit ex ipso Salvatoris Oraculo sermonem hunc concludente: *omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & omnis, qui se humiliat, exaltabitur.*

v. 14. Quâ autem ratione, quibus mediis Salvator aliquando in Ecclesia sua in gratiam velit recipere suos post Baptismum lapsos, nec apicem unum ex hoc loco exsculpes.

30. Mulierem peccatricem Salvator ipse absolvit *Luc. 7.* quæris, an confessam? negas. „ Sed fides eam salvam fecit, ihr Glaub hat ihr geholfen. Petrus absque Confessione solis lachrymis obtinuit veniam à Christo. „ & potuisses cum Kemnitio, ex quo ista mutuaris, addere Paralyticum *Matth. 9.* Adulteram à Pharisæis accusatam *Joan. 8.* Antequàm hunc Guilielmi Amesii Calviniano-Puritani Achillem enervemus, aut Therfiten potius facili manu sternamus, quæro, an Solâ fide peccatricem salvatam esse, intelligi velis? Hunc Lutheri tui sensum fictitium evertunt verba Veritatis. *Luc. 7. v. 47. remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Fide igitur per charitatem formatâ & vivâ, in heroica pœnitentiæ opera exuberante, veniam & gratiam est consecuta, in viam salutis reducta. Hoc præmittere oportebat. Nunc ad rem tui argumenti.

31. Isti omnes & singuli peccatorum veniam acceperunt, citra confessionem singulorum peccatorum. Quo autem tempore audiêrunt sibi impartitam à Christo hanc veniam? tempore inter Legem Mosaicam & Evangelicam medio; ante passionem Domini tunc nec inchoatam nec consummatam; & prius quàm

à mortuis redivivus diceret Apostolis: *Quorum remisistis peccata...* Et quis erat ille, qui etiam peccata solo nutu voluntatis & verbo oris, non confessis, remittere voluit? Deus Homo: cui data erat omnis potestas, qui nullis adstrictus legibus, potestate Excellentiae omne habet iudicium: qui *Καθ' ἰσχυρίαν* habuit sibi propriam, qui uti *Matth. 9.* cognovit convitiantium Pharisaeorum cogitationes, ita omnium conscientiam, peccatorum foeditatem, speciem & numerum, poenitentium compunctionem merè internam habuit perspectissimam. Judicare igitur etiam ut Homo potuit de singulis, quamvis animi arcana non prodentibus. Deus erat, offensas suas per seipsum simpliciter remittere an non potuit? Rex suae Majestatis laesae Reis sine ulla iudicii forma, non praerequisitâ à Reis confessione criminum, condonare potest delicta. An idè hoc possunt iudices cum vicariae potestatis privilegio à Rege destinati, ad certam iudicii formam alligati à suo Principali? Apostolos, horumque in hoc officio successores non dicimus Dominos independentes, sed iudices Vicarios à Christo Domino esse constitutos, probavimus; citra prodigium, sine necessitate continuandum, arcana cordium inspicere nequirent: nonnisi per signa externa possunt discernere causas reorum, quibus delicta remittere aut retinere oporteat, proinde

nec legitime judicare possunt nisi acceptâ per reos integrâ noxarum confessione.

32. Si, quod hic opponis, argumento aliquid inesset roboris, eodem hoc tuo ariete laneo prosterneres præceptum & necessitatem Baptismi sub initium suæ prædicationis à Christo jam instituti: *Jesus baptizabat.* Joan. 3. v. 22. *quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Joan. 4. v. 2. Baptismo igitur suo jam instituto Dominus, uti nondum baptizatis, ita etiam peculiari enarratione non confessis peccata remisit: Paralytico Matth. 9. Latroni in cruce Luc. 23. v. 43. an tua Dialectica inferet: ergo etiam sub lege Evangelicâ jam pridem promulgatâ Baptismus non est primum Sacramentum omnibus absolute necessarium ad salutem? Consequentiam insulsam esse dices? confer tuam, quam ab exemplo Christi contra præceptum confessionis auricularis confinxisti. Videbis, ovum ovo simillimum.

33. Causam tuam pag. 200. promotes ex 1. Joan. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra; fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra.* Quid inferis? an quòd sufficiat, soli Deo, & quidem generatim confiteri peccata? Ex hoc ipso Joannis loco demonstramus oppositum. Apostolus non dicit: si Deo, nec, si Deo soli confiteamur. Dum sacerdoti, vicario Dei confitemur, Deo confitemur, sed non soli. 2. Non dicit: si recognosca-

mus



mus delicta nostra, si coram solo Deo nos profiteamur peccatores: sed, si confiteamur peccata nostra; igitur si omnia & singula confiteamur; uti ab omnibus & singulis absolvi petimus: uti omnia & singula debita nostra dimitti quotidie rogamus. Quod quidem uberius demonstrandi ansam proximè dabit D. Adversar. 3. Cui confiteamur, ut remittantur? Non oblitus est dilectus discipulus, quæ ex ore Magistri Divini notaverat Evangelii sui c. 20. v. 23. *Quorum remisistis.* Meminerat, quibus hæc collata sit potestas, quæ fuerit voluntas eam conferentis, quæ promissio veniæ obtinendæ; si confiteamur modo, quo Christus instituit; & iis, quibus remittendi potestatem commisit. Nam cur v. 9. adjecit: *fidelis & justus est, ut remittat.* Si nimirum confiteamur peccata nostra. Exercitium fidelitatis & justitiæ supponit promissionem factam, & rem promissam tunc implendam, ubi primùm modo, quo promissor voluit, à promissario impleta fuerit conditio promissioni adjecta. Si ritè confiteamur peccata nostra, remittet, qui fidem datam fallere non potest Deus. Soli autem Deo peccata Confessoris fidelibus lapsis factam esse veniæ promissionem, vix ullam reperies literam consignatam in N. T. Verbo scripto, sed hæc: *quæcunque solveritis, quorum remisistis.* Igitur dilectus discipulus ad Baptizatos scribens non alium habet sensum, ac: *Si sacerdotibus,*

quibus solvendi & remittendi potestatem Christus dedit, peccata confitemini; illis solventibus, à Deo solventur, illis remittentibus, & à Deo remittentur. Et verò cum facilius sit, etiam singula peccata Deo soli confiteri, quàm homini Ministro Dei vicario, si nihilominus sine singulorum peccatorum Confessione homini factâ, obtineri posset omnium remissio; Apostolis & successoribus commissa potestas Clavium frivola foret, quia planè otiosa; ita concludit S. Aug. L. 50. homiliar. hom. 49. *Nemo dicat: occultè ago (pœnitentiam) coram Deo ago: novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis super terram... ergo sine causâ sunt claves datæ Ecclesiæ? frustramus Evangelium? frustramus Verba Christi?*

34. Urges, D. P. & cancrino motu denuò à Novi Testamenti ad Antiqui Sacrum Codicem recedis pag. 200. „ David soli Deo confitebatur: *Confitebor adversum me in justitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem meam.* Psalm. 32. v. 5. (Hæc nobis non leguntur Psalmo 32. sed. 31.) jubes etiam inspicere Isaïæ c. I. v. 16. „ R. Sed hoc & sequent. versib. Deus per Isaïam denuntiat non sufficere solam fidem fiducialem de remissis peccatis, nec solam resipiscentiam, sed requiri opera bona, observationem mandatorum. Mones quòque, consulendum Ezech. c. 18. v. 22. c. 33. v. 15. Ad hæc R. I. iterumne Calvinizas?

tua enim instantia planè coincidit cum illâ  
Calvini L. 3. c. 4. §. 18. *non alia, ait, nunc est  
peccatorum remissio, quàm quæ semper fuit.*  
Adducitque ex ejusdem Ezech. c. 18. v. 21.  
quem ita ponit: *Quotiescunque ingemuerit  
peccator, omnium ejus iniquitatum non recor-  
dabor.* Inferre tentat, Confessionem Sacra-  
mentalem uti olim in L. V. ita & L. N. nec  
in re nec in voto esse necessariam Christiano  
graviter lapsio. Sed siquid ponderis haberet  
hæc veteris ad novæ Legis remedia compa-  
ratio, eâdem machinâ ex numero N. L. Sa-  
cramentorum denuò extruderet Baptismum,  
eumque omnibus ad salutem necessarium ef-  
se, pernegandum foret. Nec enim Baptis-  
mus Christi erat vel institutus vel necessarius  
cuiquam in Lege Veteri: omnibus nunc esse  
necessarium nobiscum demonstratis ex Joan.  
3. v. 5. *nisi quis renatus:* si ergo nunc pro re-  
missione peccatorum non alia, nisi eadem om-  
ninò sunt remedia, quæ olim & semper fue-  
runt, an frivole locutum esse dices Christum  
asserentem in T. N. tam generalem Baptismi  
necessitatem? an adstrues Baptismum Chri-  
sti ab initio mundi jam fuisse necessarium ad  
salutem? Sicut autem in Lege Evang. Bap-  
tismum omnibus infidelibus ad remissionem  
peccatorum esse necessarium, probant verba  
Christi: Joan. 3. *nisi quis renatus...* ita Con-  
fessionem Sacramentalem Christianis lapsis  
pro obtinendâ peccatorum remissione neces-  
sariam

fariam esse, ex ejusdem Salvatoris ore discimus Joan. 20. *Quorum remisistis peccata*. Uti remedium & præceptum Baptismi pro infidelibus, ita pro fidelibus lapsis remedium & præceptum Confessionis non dedit Moyfes, sed Christus.

35. Instantia tua solo verborum cortice à Calvinianâ discrepans, ut aliquid videretur evincere, oporteret habere hunc sensum, quòd ad remissionem peccatorum mortalium nihil requiratur in Lege Novâ, nisi quod requirebatur & sufficiebat sub Lege Antiquâ, & vicissim, aliquid fuisse olim necessarium, quod jam non sit tale. Hic sensus apertè fallit; quas trahat sequelas vide: sequeretur enim, quòd, ut olim sine Baptismo infantes masculi mediante circumcissione, fœmellæ sine illo & istâ, sic & nunc quicunque parvuli possent justificari sine Baptismo. Quòd sicut infideles adulti olim potuerant, ita & nunc possent justificari per contritionem perfectam sine ullâ obligatione ulteriore, & sine efficaci voluntate Baptismum in re suscipiendi; quòd sicut nunc ita & olim ante Christum, potuerint per Baptismum Christi justificari adulti infideles. Absonæ sunt sequelæ, haud minùs absolum id, unde fluunt.

36. A Testamenti Novi ad Antiqui literas antea retrogressus, D. P. flexo dextrorsum pede resiliens fol. 200. inquit: „ Neque in N. T. ad remissionem peccatorum exigitur,

tur aliud nisi pœnitentia. Hoc evincere laborat ex Apocalypseos c. 2. v. 5. c. 3. v. 19. c. 16. v. 5. *Et ut palpum obtrudas lectori ignavo & rudi plebeculæ fucum facias, sola Scripturæ capita & versus, quamvis ad controversiam, quæ agitur, impertinentes jejune notasti, verbis ipsis & verborum nexu suppressis. Sed hoc quibusdam familiare est artificium, solos Scripturæ locos indicare, chartam implere nudâ citationum farragine. Aperiamus rem ipsam. S. Joannes Apoc. 2. v. 5. ita habet: *age pœnitentiam, & prima opera fac. c. 3. v. 19. Ego, quos amo, arguo & castigo; æmulare ergo & pœnitentiam age.* Ex utriusque loci literâ si eruis, quod probandum assumpseras, in Novo Testamento ad remissionem peccatorum mortalium nihil requiri, nisi pœnitentiam internam coram solo Deo actam; quàm indigna Professori hæc esset probatio? Controversiæ præsentis, quam deberes impugnare, cardo est: an Christiano in mortale lapso ad amicitiam divinam recuperandam, jure divino necessaria sit talis pœnitentia, quæ dolorosâ omnium mortalium distinctâ Confessione coram Sacerdote obitâ & Sacerdotali absolutione essentialiter constituatur? Quinam verò & quales erant, quos per S. Joannem utrôque loco cit. ad pœnitentiam urget Christus? Erant, Episcopus Ephesi (ût communis interpretum notat) S. Timotheus S. Pauli antea discipulus, & Episcopus*

Laodiciæ. Neuter arguitur mortalis peccati reus. Prior laudatur, quod *restiterit iis, qui se dicunt, Apostolos esse, & non sunt.* Prior laudatur ab odio Nicolaitarum, à laboribus plurimis & adversis pro Christi fide toleratis, à perseverantiâ in omni opere bono, *quia non defecisti.* Alter non de frigore, sed tepore arguitur c. 3. v. 15. Dominus eum nondum *ejecerat ex ore suo.* Utérque ad majorem duntaxat curæ pastoralis & charitatis fervorem excitatur: neuter igitur absolutè indigebat eâ pœnitentiâ, de quâ loquimur.

37. Superest locus tertius, quem nescio, quo lapsu ad scopum, tibi ex debito præfigendum, trahis ex *Apoc. 16. v. 9. Et Angelus secundus effudit phialam suam in mare, & factus est Sanguis tanquam mortui.* Quid hoc ad qualitatem essentialem pœnitentiæ peccatori fideli necessariæ? Forsan recurrere volebas ad ejusdem capitis v. 9. *Æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei, habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.* An ex hoc prudenter concludes: ergo ad pœnitentiam reconciliativam Christiano nec in re, nec in voto necessaria est Confessio & absolutio Sacramentalis? apage gerras. Quinam illi, super quos hæc plaga æstûs magni ab Angelo sexto effusa? Antichristiani, Caractere Bestiæ Antichristo authorati. An non pluri mi eorum infideles? Ex supposito nunquam  
pro-

probando solos apostatas, quondam Christo initiatos, totum illum Antichristi exercitum conflatuos non asseres, nisi fortè per calumniam Papistas dicere velis Antichristi Romani servos & mancipia. Qui Romanæ Ecclesiæ filios se probant, signati sunt signo Tau, quod tamen néque in fronte, néque in oculis ferre volunt, qui profitentur Christum, & oderunt Vicarium Christi.

38. Telam cordatè cœptam eâd. pag. 200. calamo cæco ibidem prosequeris. „ Quisquis suscipiebat Baptismum, & manducabat cœnam, peccatorum habebat remissionem. „ R. Hæc quôque verba sunt, prætereaque nihil. *αὐτὸς ἔφα.* Ipse dixit. Satis est. Credite posteris. Quantâ præfidentiâ sine ullo rationis in Scripturâ vel Traditione fundatæ momento hæc effundis? Sicci vanitas asserti à nobis negligenda & explodenda esset, ast non sic dissimulanda calami tui, mi Dne! nimium velociter scriptitantis inconsiderantia. Non advertis, quod asserto hoc tuo teipsum & Apostolum in suspicionem falsi trahas. Teipsum: eodem tractu, eâdem pag. præmiseras: so wird ja auch im N. T. nichts als Buse erfordert/ daß mann Vergebung der Sünden habe. Apoc. 2. 5.c.3.19.c.16.3. „ R. Hos locos jam excussimus nro. 36. Prænotatis immediatè subjungis: wer sich tauffen liese/ wer das Abendmahl genossen/ hatte Vergebung der Sünden R. per quid? per Baptismum? per Cœnam? aliter si intelligis,  
mi-

mirificè ludis verborum abusu. In alterutro asserto tuo falsum dixisse convinceris. Si requirebatur pœnitentia sola interna, ergo nec requirebatur Baptismus, nec manducatio Cœnæ, nec alterutro horum habebatur remissio peccatorum. Si susceptione Baptismi, si manducatione Cœnæ obtinebatur remissio peccatorum post Baptismum commissorum (de his solis peccatis est quæstio) ergo ad eundem effectum non requirebatur pœnitentia. Utrum horum admittis, mi Dne Antiloge? an forsan cum Calvino l. 4. c. 15. §. 4. Statuis, Baptismum esse ipsam pœnitentiam, imò esse ipsum pœnitentiæ Sacramentum? an Baptismi etiam in infantiâ semel suscepti efficaciam ad delenda omnia vitæ futuræ extendis peccata, quamvis ipso posteriora, tamen delenda, si modò ad suscepti Baptismi memoriam se revocet peccator, quoties postea vitiorum suorum conscientia vexatur? Paradoxam Propositionem (quia censeo, à te feridè non esse tibi appropriatam) plurius hîc confutare nec animus, nec locus est. Auditores nostri qui vix per semestre dogmata Theologica exceperunt, dissimulatis interim Scripturarum Oraculis, quibus apertè illa contrariatur, solâ naturali paritate usuri, interrogarent: An sordes corporis hodie in volutabro luti contractas abstergat sola recordatio lotionis, quæ similes aut etiam magis fœdas abstulit lotio ante decennium suscepta? Et cùm dicas, etiam sus-



susceptione Cœnæ remissionem haberi peccatorum; interrogarent, cur frequenter accedatis ad Cœnam Vestram, & non redeatis ad iterandam realem susceptionem Baptismi? Sin verò solâ recordatione Cœnæ susceptæ, uti recordatione Baptismi, novorum peccatorum habetur remissio, naturali demùm paritate usuri interrogarent: an recordatio cibi ante decennium manducati hodie præster corpori animato, quod cibus ante decennium manducatus præstitit? Hæc jocosa dices? Maximè seria sunt: κατ' ἀνθρώπων ostendunt, qualia monstra pariat opinandi libertas.

39. S. Paulum quóque in suspicionem falsi vocare videtur tua assertio. Controvertimus, per quod medium à Christo institutum Baptizatus possit & debeat obtinere veniam peccatorum mortalium, quæ post Baptismum commisit? Tu Dne! dices, susceptione Baptismi. Hoc assertum disjectum est. In eadem periodo sine particula copulativa & dices: manducatione Cœnæ habebatur remissio peccatorum. De quo Sæculo loqueris? an de sexto decimo vestræ Reformationis natalitio, an etiam de omnibus illâ prioribus ipsóque primo Ecclesiæ Catholicæ Sæculo? nisi studiosè & lepidè fallere intendas, etiam de primo loqueris, quo adhuc currente S. Paulus scripsit priorem ad *Corinthios* Epistolam; ad *Corinthios* non adhuc infideles, sed Baptismo initiatos. Ad hos: *quicunque manducaverit*

pa-

*panem hunc vel biberit calicem indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. 1. Cor. II. v. 27. eadem quoad sensum habentur v. 28. & 29. Quòd illi, qui cum mortalis peccati conscientia cibum Eucharisticum manducare præsumant, indignè manducant, quòd hâc ipsâ sumptione rei fiant Corporis & Sanguinis Domini, quòd iudicium sibi manducant, quòd ab hoc sacrilegio suos Corinthios Apostolus deterreat, nemo contra apertam literam, contra omnium Patrum doctrinam inficiabitur, nisi qui apertis in meridie oculis solem negare, non erubescit. Tu verò, mi Dne! Cathedram Tübinganam Paulino-Apostolicæ opponens, animosè asseris, hominem Baptizatum, peccatis maculatum, gravis etiam noxæ conscius, manducatione cœnæ accipere remissionem peccatorum, proinde nec fieri novi Sacrilegii, nec Corporis & Sanguinis Domini reum, nec iudicium sibi manducare. Proinde falsum esset, quod docuit Apostolus: igitur Doctorem gentium videris arguere falsi. Conclusio nostra legitima est; si dura videtur, cogita, quis ansam dederit præmissis.*

40. Unum adhuc prioribus eâdem pag. 200. addis cuneum majusculis literis insignem: „Deus dimittit nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. & I. Apopsiopesi utens, abrumpis periodum, ut legentium hariolationi relinquant, quid inde concludas. Solùm hoc substernis generale: „Plu-

ra huc spectantia afferri possunt R. Nihil af-  
fers. Taces; mox ad planè aliud transis ar-  
gumentum, proximè à nobis expendendum.  
„ Debita nobis à Deo dimitti, rogamus in O-  
ratione Dominicâ, sicut & nos nostra dimit-  
timus proximo. R. 2. Quid tum? Haud du-  
biè id, quod tibi suggestit Joannes Dallæus  
Mornæi Reform. apud Gallos famosi Alum-  
nus, Puritanus Lib. 2. de Confess. C.  
5. ita arguens: in Oratione Dominicâ pe-  
timus, ut Deus nobis dimittat debita nostra,  
sicut nos offensas nobis illatas dimittimus fra-  
tribus: has dimittimus, quin singularum Con-  
fessionem priùs ab illis exigamus, igitur &  
Deus nobis remittit peccata, quin eorum  
Confessionem specificam & numericam præ-  
mitti velit. R. Quoad extensionem ad  
omnia mortalia, horumque omnium & non  
aliquorum duntaxat remissionem paritas est;  
quoad modum verò conditionésque remissi-  
onis ratio est utrinque dispar. Nos simplici  
quidem & sincero animi affectu Fratribus re-  
mittimus offensas nostras, non tamen ideò si-  
mul ex inimicis facimus amicos, non ex ini-  
quis justos. Deus quotiescunque noxas gra-  
ves nobis remittit, gratiæ omnia mortalia &  
non tantùm aliqua delentis donum infundit,  
quod ex peccatoribus justos, Deique facit a-  
micos. Nos remittere & ignoscere jubemur  
etiam nolentibus, imò adhuc *odientibus* &  
*persequentibus* nos Matth. 5. v. 44. Deus non  
dimit-

dimittit, nisi liberè se humiliantibus, ad ipsum toto corde conversis. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Zach. i. v. 3. Nos non teneamur invitare, excitare offensorem, ut velit apud nos deprecari offensiones. Deus peccatorem suis gratiæ auxiliis misericorditer prævenit, excitat, ut ille velit, adjuvat, ut possit agere & agat dignos pœnitentiæ fructus. Certas leges & conditiones offensori præscribere, nostrum non est, quibus non positis, non teneamur remittere: Deus non remittit peccata, nisi ritè pœnitenti juxta leges & conditiones ab ipso præscriptas, néque homo ad justificationis beneficium est dispositus, nisi habeat efficacem voluntatem servandi omnia Dei mandata, & præcepta Christi: inter hæc esse sacramentalem coram sacerdote Confessionem §. i. demonstratum est. Igitur in Oratione Dominicâ simpliciter petimus, ut sicut omnes offensiones simpliciter remittimus proximo, ut Deus omnia peccata remittat nobis, servatis tamen pro obtinendâ reconciliatione legibus, mediis & modis omnibus à Christo pro fidelium Ecclesiâ præscriptis, inter quas uti est Sacerdotis absolutio, ita & pœnitentis integra omnium mortalium coram eodem faciendâ Confessio.

41. Auricularem, sive omnium coram sacerdote peccatorum confessionem esse impossibilem primæ suæ impugnationis capitulum alterum pag. 189. statuerat D. P. T. Suggesto-

Stores hujus argumentuli habuit Kemnitiuſ, p. 2. Exam. ad Trid. Sess. 14. c. 5. & Calvinuſ l. 3. c. 4. §. 17. Senioribus in hac Schola Magiſtris demus ſuum honorem: cum his agamus priuſ, quàm cum diſcipulo; ex eorundem principiis & hunc in illis confutabimus. Admiſit Kemnitiuſ, peccata omnia in ſpecie coram Deo ſolo explicanda, enumeranda, confitenda eſſe, atque citra hanc confeſſionem, *impoſſibile* eſſe peccatoreſ juſtificari & ſaluari. Patheticè id ipſum docuit Calvinuſ l. 3. c. 4. §. 18.

42. Ita quidem Calvin. ſed ſuū immemor, omnes, quas contra confeſſionem omnium & ſingulorum peccatorum coram ſacerdote faciendam ejuſdem Cap. §. 16. 17. evomuerat calumnias, §. 18. reſorbet, ſuâſque argutias ipſe diſſolvit. Quæro enim 1. an ad remiſſionem peccatorum obtinendam requiratur, ut quoad ſpeciem & numerum accuratè recogitentur, & enumerentur *coram Deo*? affirmat Calvinuſ, ſic enumeranda, *quantum in nobis eſt*. Non aliud, nos dicimus, requiri coram Sacerdote. Quæro 2. an hæc recogitatio ac ſpecifica & numerica enumeratio ſit impoſſibilis? affirmabat Calv. §. 17. negat. §. 18. Quæro 3. an iſta recogitatio & enumeratio ſit carnificina *plusquàm crudeliter divexans animas*? affirmabat Calv. §. 17. negat. §. 18. Si proinde obligatio urgens, omnes & ſingulas graves noxas totâ recogitatione recognoſcere, *quæ,*  
D
quæ

quales, quantæ, quot sint, exactè coram Deo, & quantum possumus, enumerare, non est crudelis animarum carnificina, si non est impossibilis, cur ista convicia affingit simili obligationi, planèque simili confessioni coram Sacerdote Dei vicario faciendæ? Eandem responsionem habeat Kemnitijs, similem de Confessione specifica coram Deo exhibenda Legem cum Calvino agnoscens. Si ob memoriæ labilitatem & animi, ut volunt, cæcitatem impossibilis est, si in *desperationem agniti* confessio, quantum fieri potest, accurata omnium & singulorum peccatorum Sacerdoti homini faciendæ; id à priori dicendum esset, de singulorum recogitatione & enumeratione coram Deo solo, qui falli non potest, qui scrutatur cor & renes.

43. Vel igitur D. P. Tüb. ad enumerationem exactam coram Deo peccatorem obligari sentit cum Calvino & Kemnitio, vel contra utrumque statuit sufficere, coram Deo solo generatim se agnoscere peccatorem? Si primum: habeat, quod illis opposuimus. Si secundum, & specificam recognitionem ac Confessionem dicat impossibilem: meminerit, Catholicorum, quam sibi notam fatetur, hanc esse doctrinam cum Tridentino Sess. 14. c. 5. *Sed & impium est, Confessionem, quæ hâc ratione (quoad speciem & numerum) fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam conscientiarum appellare: constat enim, ni-*  
 bib

bil aliud exigi, quàm ut, postquam quisque diligentius se excusserit... ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univèrsam eâdem Confessione inclusa intelliguntur. Ab actu ad potentiam firmum est argumentum: tot Catholicorum ex omni conditione & statu myriades talem, qualem & non aliam à Deo, impossibilia non jubente, præceptam Tridentina Synodus declarat, Confessionem fecerunt semper & faciunt: Impossibile itaque qui dicit, aut omnes illos arguet sacrilegè Confessos; aut impossibile dicit, quia nunquam fecit, quod Christus pro reconciliatione Baptizati peccatoris obtinenda præcepit.

44. Ipse D. Advers. declarationis Tridentinæ non ignorans, videtur tacitè revocare commentum inane impossibilitatis. Nam immediato contextu pag. 189. argutè quærit: „Sed ubi ergo ille canon: *non confessum, non remissum?* R. Canonem hunc antiquissimum vigere hodieum. Malè autem supponis Dne! unum mortale remitti, altero retento. Ast vel nullum aut cum uno omnia ejusdem subjecti mortalia remittuntur: Hæc nostra est doctrina, quam probare si exigis, extra præsentis quæstionis gyrum exorbitas. Quæ per oblivionem inculpabilem distinctè manifestari non possunt, aliorum spe-

cificæ Confessioni *inclusa* vult pœnitens accusator suû, animo paratus, etiam memoriæ elapsa distinctè manifestare, ubi in cogitationem redierint. Lex Christi impossibilia non jubet, sed quæ sciuntur, dicuntur; cognita non tacentor, ne planè generalis quædam sit accusatio, nihil præbens materiæ, iudicio Confessarii discernendæ, de qua ferat sententiam.

45. Ibidem quærit D. P. „ quomodo Sacerdos satisfactionem pœnalem peccatis proportionatam injungere possit, si aliqua in specie audiit, alia memoriæ elapsa non percepit? R. Schiomachiam exerces; contra umbras digladiaris. Peregrinus videris in nostra tum dogmatico-didactica, tum morali. Negligis regulam à te dictatoriè fixam: alterius partis dogmata qui impugnare conatur, prius ea noverit, ne tecum verberet aërem, pugnans in incertum. Ignoras hanc satisfactionem esse quidem Sacramenti partem integram, non tamen essentialem; dolorosâ Confessione & absolutione constitui totam Sacramenti essentiam, effectum ejus primarium esse gratiam justificativam; reatum omnis culpæ gravis & pœnæ æternæ per absolutionem deleri, etiam priusquam impleatur satisfactio à confessario injuncta, ad delendam duntaxat pœnam temporalem, cujus delerio nonnisi secundarius est Sacramenti effectus. Utriusque pœnæ distinctionem & divisionem, quia erroneè



explodis, mirum non est, quod argumen-  
tum à te factum nitatur supposito non sup-  
ponente, quasi citra arithmetice proportio-  
natam satisfactionem à Confessario impositam  
pro peccatis quibusdam ex inculpabili obli-  
vione non expositis consistere non possit tota  
Sacramenti essentia, & effectus primarius.  
Curas igitur mitte de pœnitentia satisfactoria  
pro peccatis memoriæ elapsis.

46. Robustiùs mox instat D. P. „ Ad hæc  
inquit, necesse est confitentem semper esse  
anxium, an seipsum satis probârit, an ex-  
actè discussit conscientiam, an aliqua judicâ-  
rit venialia, aut talia, quorum Confessio-  
nem non esse præceptam, judicârit, quæ ve-  
rè fuissent confitenda? R. Hæc ipsa latius  
exposuit Calvinus L. 3. c. 4. §. 17. & æmula-  
tor Calvini Dallæus. Si mentem tuam ma-  
gis germanè aperuisses, D. P. an sit obligatio  
omnia & singula mortalia, horùmque speci-  
em & numerum præviâ exactâ discussione re-  
cognoscere, & confiteri saltem coram solo  
Deo, jam haberes solutionem *nro* 42. Calvino  
& Kemnitio datam. Si cum his Magistris,  
quorum tamen in multis adoras sensum, id  
non adstruis; facile damus, quòd prudenter  
anxium oporteat esse eum, qui vel ex negli-  
gentia in discutiendis animi latebris, vel cul-  
pabiliter erroneo dictamine ex regulis perversè  
laxis, vel cum conscientia practice dubia  
noxas quasdam reverà graves, novit à se in

Confessione non expositas. Anxietatem hanc  
 necessariò orituram si extendis ad omnes eos,  
 qui conscientia & fide bonâ fecerunt, & pru-  
 denter judicant, se pro viribus fecisse omnia,  
 quæ Lex Christi exigit, vel fallis, vel erras in-  
 ternæ hujus quietis inexpertus. Quando homo  
 fidelis novit se præstitisse, quod per ordina-  
 ria auxilia gratiæ potuit; in bonitate divina  
 supra vires nostras nihil exigente quiescit, de  
 impletis à se omnibus certus eâ certitudine  
 morali, quæ prudens dubium proinde & pru-  
 dentem anxietatem arceat. In humanis sum-  
 mi etiam momenti negotiis nostram simul o-  
 perationem & diligentiam requirentibus cer-  
 titudinem moralem maximam, omne etiam  
 imprudens ac indeliberatum dubium exclu-  
 dentem qui ad animi quietem exigit, stultescit.

47. Moralem hanc summam certitudinem  
 si ad animi pacem requiris, vide, ne anxium  
 te esse oporteat, an hæc tunc possessam Pa-  
 tris hæreditatem salvâ & quietâ conscientia a-  
 dieris, & aditam retinere possis. Solâ enim  
 certitudine morali prudentibus communi, non  
 autem summâ certus esse potes, quod hunc  
 & non alium habueris Patrem: de quo tamen  
 citra gravem contra te injuriam nemo delibe-  
 ratè dubitare utique poterit. Summæ tamen  
 certitudinis defectus anxietatis inevitabilis la-  
 queum nec tibi, nec alteri prudenti viro ac  
 honesto vel de te vel de seipso injicit. Noli  
 igitur sollicitus esse de nobis Confessionem ita  
 fa-

facientibus, ut præstitâ diligentia, de candore illius, & an ex negligentia aut errore culpabili vitium ei irrepsit, non relinquatur nobis dubium prudens. Si quid præter culpam ex invincibili defectu omissum sit; nihilominus certi sumus, id in aliorum, quæ deteximus, Confessione inclusum esse & cum iis remissum.

48. Ultimum eumque robore crasso vehementem assultum tentat D. P. ex præmissis falsis, non falsam modò (veritas calami nostri odium non pariat) sed mendaci simillimam extundit hanc conclusionem pag. 189. *Kein Catholische kann demnach der Vergebung seiner Sünden / und daß er im Stand der Gnaden stehe / gewiß versichert seyn.* addit hoc trabale: *das ist auch ihre / aber sehr trostlose Lehr. & Qui nullam planè de sua cum Deo reconciliatione, de statu gratiæ habet certitudinem prudentem & positivam, necesse est, ut de utràque deliberatè prudenter dubitet, & quia sic durante dubio nunquam est ullo modo certus, semper est & agit in dubio.* Ast D. P. simpliciter statuit, quod *nullus* Catholicus habere possit, proinde nullus habeat *ullam* viro etiam prudenti sufficientem certitudinem de remissione peccatorum suorum, igitur decidit, quòd planè omnes semper de hoc prudenter dubitent, & in hoc dubio operentur. Injuriosi convicii reus est hic loquendi modus. Omnes Catholici certissimè credunt, sinè ulla certi-

tudine de statu gratiæ, & cum prudenti dubio de expiatis peccatis omnibus SS. Eucharistiam suscipere, grande esse Sacrilegium; ex propositione & mente D. P. nullus Catholicus potest habere ullam certitudinem de suo gratiæ statu: quotquot igitur Catholicorum, quamvis sacramentaliter confessi & absoluti, corpus & Sanguinem Domini manducarent, sacrilegi essent. Illatio quoad formam legitima est, quoad materiam à D. Adversario substratam injuriosè falsa est.

49. Certitudinem moralem prudentis dubii exclusivam de statu animæ suæ à Catholico, faciente, quod cum auxiliis ordinariis potuit, non obtineri modò posse, sed haberi *num. 46.* ostendimus. Majorem ad animi pacem etiam in negotio salutis requiri, si adhuc existimat D. Advers., dicat, quâ certitudine certus sit, se per baptismum, quem etiam prolibus fidelium ad salutem absolute necessarium esse, non negabit, transiisse ad statum gratiæ ac justitiæ, & quidem (si Magistrorum suorum Lutheri & Calvinii dogma non ejuravit) statum justitiæ *immutabilem & inamissibilem?* Baptismum accepit in infantia: an eum sine defectu substantiam ipsam hujus Sacramenti irritante acceperit, ipse per seipsum nec scire tunc potuit, nec recordari potest. Quam ergo, & unde certitudinem habet, quòd sit ritè baptizatus? non sanè per revelationem Dei per seipsum vel per Angelum specialiter hoc ei revelantis: Humanam igitur

tur & quidem ordinariâ humanâ non majorem, ex solâ vel parentum vel amicorum relatione aut ore aut scripto accepta eam habet. Ast nunquid omnes isti potuerunt vel esse decepti vel decipere? homines enim sunt, errori & vitio obnoxii; de suo ergo Baptismo & effectibus ejus ad salutem directè pertinentibus, præsertim gratiæ illius & justitiæ primæ (quam Calvin. cum Luth. inamissibilem docuit) statu certitudinem morali majorem ex solo hominum testimonio non habet, D. P. nihilominus in ea conquiescit. Quantò magis de sua per Sacramentum pœnitentiæ obtenta reconciliatione verè prudenter certus esse potest Catholicus, qui experimento proprio suorummet actuum novit, se, quantum cum ordinariis Dei auxiliis potuit, omnia ad dolorosam Confessionem jure divino requisita præstitisse; advertit, se verbis legitimis absolutum à Sacerdote, de cujus legitima potestate & debita intentione nec prudenter dubitare, imò nec prudentem & deliberatam conjecturam contrariam habere potest.

50. R. 2. ad appendicem superioris argumenti minùs temperati, Quam, quæso! in tuis de statu gratiæ certitudinem excludit Doctrina Catholica? An moralem illam utròque n. præc. à nobis descriptam? Si hanc à nostra doctrina improbari aut negari contendis, simplicibus imponis. An verò certitudinem omni humanâ & naturali majorem, quâ hic

aut ille, etiam sine revelatione determinata ad ipsum specialiter à Deo facta, tamen certitudine *fidei* divinæ certissimè credere debeat, credatque, sibi remissa esse sua peccata, se nunc esse in statu justitiæ? Hanc si à nobis, utpote fictitiam, Scripturæ & Patrum sensui contrariam explodi dicis, verum tandem dicis. Talem, ut cuilibet suorum *cubito pulvillum consuant & faciant cervicalia* Ezech. 13. v. 18. ingeniosâ suavitate commenti sunt Luth. assert. artic. 10. 11. 12. Melanchton in locis tit. de fide. & Apolog. C. A. tit. 14. & 20. Calvin. in Antidot. ad Trid. Sess. 14. & L. 3. Inst. c. 3. §. 17. Molle & erroneum hoc dogma proscripsit Trid. Sess. 6. c. 9. Lutherano - Calvinianam illam præsentæ fidei specialis certitudinem vocans *vanam & ab omni pietate remotam fiduciam*. Hujus assertores anathemate ferit can. 13. 14. 15. Nullus scire valet certitudine *fidei*, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Quisquis facit, quæ ex sua parte à Deo requiri novit, in divina bonitate sic absque prudenti dubio conquiescit, ut tamen justificatum se esse, temerariâ persuasione humanam notitiam moraliter certam excedente non præsumat. *Nihil sibi conscius est, sed non in hoc se justificatum dicit; qui enim judicat nos, Dominus est.* 1. Cor. 4. v. 4. *de propitiato peccato non est sine eo metu* Eccli. 5. v. 5. *qualem charitas erga Deum compatitur; sed cum*

cum metu & tremore operatur suam salutem. ad Philip. 2. v. 12. Nescit enim homo, utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta. Eccles. c. 9. v. 1. 2. Néque tamen vel quisquam Catholicus promissiones divinas omnibus factas, nec merita Christi, horumque & Sacramenti Pœnitentiæ ex illis communicatam efficaciam imminuit, aut (quod quidam cum Calvino criminatur) vocat in dubium. Sed quilibet Catholicus seipsum suamque propriam infirmitatem respiciens, quamvis advertat, in se esse, aut suo tempore fuisse actus fidei, spei, contritionis, ad objectum & ob motivum cuique proprium directos, tanquam necessarias ad fructum vi Sacramenti obtinendum dispositiones; tamen iidem actus an fuerint reipsâ supernaturales, citra revelationem sibi determinatè factam nullius est, certissimè nôsse certitudine fidei, quæ falsa esse non potest; proinde in hac mortalitate, nullius est, de justitiæ suæ statu, nisi audacter fictâ & affectatâ certitudine fidei sibi nisi vanè blandiri.

§ 1. Confessionis Sacramentalis necessitatem & originem ex jure divino natam vindicavimus hætenùs contra oppugnationes & machinas ex Scripturis & rationum apparentia peritas.

Antequàm ad alterum transeamus dissertationis Caput, Ecclesiæ Augustano-Evangelicæ primum Doctorem proponamus *Lutherum*. Hujus, quæ de Confessione, quam auricular-

rem

rem appellant, mens fuerit, ipse scribit L. de  
*Captiv. Babyl. Cap. de Sacram. pœnit. Occul-  
 ta Confessio, quæ nunc est, etsi probari ex Scri-  
 ptura (à Luthero ejusque symnists, quia nec  
 audire nec videre volunt) non possit; miro ta-  
 men modo utilis, imò necessaria est; nec vellem  
 eam non esse, imò gaudeo, eam esse in Ecclesia  
 Christi, cum sit afflictis conscientis unicum re-  
 medium.* Ista scripsit Lutherus, cùm jam to-  
 tus æstuarer in Leonem X. Veritatem tamen  
 Catholicam antiquissimam negare non est au-  
 sus. Hæc de Confessionis occultæ utilitate &  
 necessitate laus ex ore Adversarii prolata, te-  
 stimonium est veritatis Catholicæ. Si talis  
 Confessio *necessaria, si unicum est afflictis con-  
 scientis remedium;* dic! qua ex institutione  
 hanc traxit & utilitatem, & quæ Lex hanc indu-  
 xit *necessitatem?* non humana: hæc nec tantam  
 unici ad pacandas conscientias afflictas nec ad  
 salutem remedii necessitatem inducere, nec u-  
 tilitatem, sed laqueum conscientis ex Adver-  
 sariorum sensu injicere potuisset. Quo  
 igitur jure, quo præcepto inducta, nisi Di-  
 vino?

## CAPUT II.

Confessio Sacramentalis ex Do-  
 ctrina SS. PP. & Historia  
 Ecclesiastica vindicatur.

§. I.



§. I. *Antiquissimorum Ecclesiæ  
PP. de Confessione Sacramentali  
verba & sensa ab equuleo D.  
Advers. liberantur.*

52. Cœptum Instituti nostri filium profecuti-  
turi, perspectis Scripturæ Divinæ  
oraculis, ad Sacræ Antiquitatis traditionem  
& sensum invitamur à D. P. Vindicias tantum  
pro veritate impugnata defensivas quia con-  
diximus, eorum duntaxat testimonia Patrum  
disquiremus, quorum verba ipsa sibi prius op-  
posita, quia suæ & suorum opinioni aperte  
contraria sentit, D. P. non minùs ac antea  
Scripturas sui ingenii arbitrariâ crisi velut  
in Equuleo distendit, extenuat, contrahit,  
torquet, ut ipse saltem elabatur. Pag. 197. ait  
„provocatur etiam ad Ecclesiæ Patres. Pri-  
mus est *Tertullianus*, cujus verba quidem af-  
feruntur, sed non locus. „ &c. Inanis querela!  
Tu, Dne P. sæpiùs locos Scripturæ & Pa-  
trum obiter notas, verba ipsa omittis. Ja-  
ctas, tuâ industriâ inventum esse locum *Ter-  
tulliani* in Libell. de pœnit. c. 10. Quia Lecto-  
ri tuo verba *Tertulliani* subtrahis, tuam sup-  
plemus studiosam reicentiam.

53. *Tertullianus* (labente Sæculo II. in ter-  
tium, adhuc floruit) Libello de pœn. (Nobis  
in editione Basil. cum Not. Beat. Rhenani de  
anno 1552.) cap. non 10. sed 9. de Confessio-

ne ita agit: pleròsque, hoc opus, ut publicacionem suam aut subterfugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores, quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contractam vexatione, conscientiam medentium vitant; & ita cum erubescencia sua pereunt. Quid ad hæc D. P.? „ ex hoc, inquit, loco id unum eruitur, quod tunc enormium criminum Confessionem non tantum coram Sacerdotibus, sed etiam publice coram cœtu fidelium fieri oportuerit. Hæc erat humiliatio, tunc injuncta peccatoribus. Ex hoc autem quomodo evincetur Confessio privata? „ R. Id 1. evincitur ex *Tertulliano* & tuomet calamo. Fateris, quod non tantum Sacerdotibus, sed etiam coram populo fieri tunc consueverit Confessio. Confirmas etiam responsionem Catholicorum, quam tibi objicis periodo post superiorem proximam; à nobis asseri, quod per Confessionem publicam non auferatur Confessio privata, quam oportebat tunc prius fieri coram Sacerdote, qui confitenti indicabat, quid publice postea esset confitendum. Ad hanc responsionem Catholicorum quid opponis? nec literulam; sed immediatè saltas ad *Origenem*, de quo postea. Igitur tacitè fateris, tunc in usu fuisse Confessionem auricularem, & quidem singulorum ac omnium peccatorum, quomodo alioquin Sacerdos discernere posset, quid, & quid non sit publice confitendum? 2. Igitur  
evin-

evincitur, verum non esse, quod supra supponis, quasi Confessio coram sacerdote vel sit solius disciplinae Ecclesiasticae, vel peccatori ad salutem jure divino non necessaria. Oppositum docet *Tertul.* ibidem, quod illam negligentes, pudoris magis memores sint, quam salutis. 3. evincitur, peccata omnia etiam occulta necessario confitenda. Nam constat, quod tribus primis saeculis tria tantum fuerint peccatorum genera publicae poenitentiae reservata, & haec ne tunc quidem, si fuerant adhuc occulta, nec aliunde jam publica, ut ipse tuus *Dallæus* contra *Arnaldum* latius contendit. 4. *Tertullianus* necessitatem Confessionis coram Sacerdote sine limitatione, ad peccata quaecunque lethalia etiam ad occulta extendit, haec comparat vulneribus corporis plane secretis: proinde omnium quoque horum Confessionem docet, esse necessariam ad salutem animae. 5. *Tertull.* eod. suo Libell. c. 4. Cum dixisset adulterii coram Deo reum esse, non illum modo, qui opere ipso peccat, sed & eum, qui videns mulierem, in corde suo concupiscit eam, concludit: omnibus ergo, delictis seu carne seu NB. Spiritu, seu facto, seu NB. voluntate, qui poenam per iudicium destinavit, idemet veniam per poenitentiam spondit. .. eam tu peccator ita amplectare, ut naufragus alicujus tabulae fidem. Veniam spondit per poenitentiam. Sed qualem? Eam quam verbis supra relatis exposuit *Tertullianus*,  
quam

quam tu tacitè admifisti, omnium peccatorum coram Sacerdote Confessionem.

54. Ex sæculo III. contra testimonium *Origenis* ( hic obiit circa annum 254. ) excipit D. P. , telum prævisum cautè declinaturus , pag. 197. iterum & quidem generali decreto, negat, *Latinas Origenis homilias ullius esse ponderis.* B. Forfan negat, quia non fideliter translatas à *Ruffino*, ideò quasdam supposititias censurat? D. P. fideliter in hac censura secutus est *Erasmus Roterodanum*, qui *Latinas omnes*; *Andream Rivetum* ortu Galum, Reform. Professor. Oxfordiæ in Angliâ, famosi *Molinæi* generum, qui *Homilias 28. in Libr. Numeror.* Joannem *Dallaum*, Reformatum Puritan. qui 39. homilias in *Lucam*, aliòsque suarum partium criticos, qui alias quòque exauthorare conati sunt. Horum pseudo-crisin abundè confutavit Natal. Alex. tom. 7. fol. 608. Nostræ etiam ætatis Critici eruditissimi sinè metu deceptionis aspersæ, suorum assertorum indè petunt testimonia, quæ quia tibi apertè contraria sunt, declinare studes.

55. Non tamen omnino refugis. primò aggrederis hom. 2<sup>dam</sup> in pl. 37. Sed quid ibi *Origenes*? docet. 1. In Scripturis extare obligationem, ne quis celet peccatum commissum: *vide ergo: quoniam iniquitatem meam ego pronuntio. quid edocet nos scriptura divina? quia oportet peccatum non celare intrinsecus.* 2. Omnium peccatorum

catorum Confessionem ad salutem esse necessariam: sicut ii, qui habent intrinsecus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter & moleste imminetia, si vomuerint, relevantur. 3. Hanc Confessionem non soli Deo, sed homini, non tamen cuicunque etiam homini faciendam, sed Medico spirituali & quidem apprimè perito: tantummodò circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: (cui: en Confessionem privatam) proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere. 4. Asserit huic medico Confessionem ità faciendam, ut pœnitens sit paratus, ejus ductum sequi, si ille ex peccatis sibi detectis jusserit, quædam ad pœnitentis utilitatem etiam publicè confiteri postea. Ubi manifestè indicat, Confessionem privatam fuisse præmissam publicæ: siquid ille dixerit, qui prius eruditum medicum, & misericordem se ostenderit, siquid consilii dederit, facias & sequaris. Si intellexerit & præviderit talem esse tuum languorem, qui in Conventu totius Ecclesiæ exponi & curari debeat, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facillè sanari, multâ hâc deliberatione & satis periti illius medici consilio procurandum est.

56. Verba Origenis punctis 3. & 4. ibi proposita D. Prof. pag. 198. ità vertit, & majori caractere proponit: „Origenes sagt nur/wann einer gesündiger habe/ so soll er jemand suchen / zu dem er sein Vertrauen haben könne/ dem er

seine Sünden bekenne / um von demselben zu  
 erlernen / ob es eine solche Sünde seye / die er  
 öffentlich zu beichten habe ; Eben wie Jacobi  
 c. 5. v. 16. steht. R. An hæc versio, quasi ge-  
 nuina, & ideò alio impressa caractere,  
 viri honesti ac literati calamo fideliter sit con-  
 cinnata, judicent Literati, candoris Germani  
 amantes. Hæc arte minùs laudabili D. Prof.  
 cogitabat elabi, aut saltem extrudere, ibi nec  
 verbum legi vel de Confessario presbytero,  
 vel de Confessione privata. Sed evasionem  
 hanc inanem præclufit *Origenes*; utitur meta-  
 phorâ à Medico ductâ: non quilibet amicus &  
 familiaris, etiam cæterâ prudens, medendi simul  
 facultate & peritiâ pollet; Et inter ipsos me-  
 dicos, annon eligis, quem habere potes,  
 peritissimum? *Origenes* huic soli Medico ju-  
 bet detegi languores, & ab hoc audire, an,  
 & quinam etiam publicæ curationi deinde sint  
 subjiciendi. D. P. in sua illa Germanica ver-  
 sione alium adhuc commisit errorem, & qui-  
 dem duplicem. 1. Contra textum *Origenis*:  
 nam ista: Eben wie Jacobi 5. v. 16. steht. à D.  
 Prof. assuta sunt; non enim habentur in hac  
 hom. 2. in ps. 37. sed in alia mox referenda. 2<sup>do</sup>  
 contra seipsum: nam textus ille S. Jacobi in-  
 dicat, non quibuscunque, sed presbyteris pec-  
 cata esse confitenda, ut probatum est nro 24.  
 & 25. & mox confirmabitur.

57 Si D. P. tam studiosè iustravit Orige-  
 nem, legerit etiam hom. 2 in *Levit. c. 1. § 2.*  
 ubi

ubi postquam ille enumeraverat sex modos, quibus in N. T. venia peccatorum obtineri possit, ait esse adhuc septimum: *quamvis duram & laboriosam peccatorum remissionem per penitentiam, cum lavat peccator in lachrymis stratum suum, & sunt ei lachrymæ panes die ac nocte, & cum non erubescit NB. Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundum eum, qui ait: pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem cordis mei: in quo impletur & illud, quod Apostolus (Jac. 5. v. 16.) dicit: Siquis infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ. Legerit etiam hom. 17. in Lucam. In illa inquit, si peccaverimus, debemus dicere, peccatum meum cognitum tibi feci. Si hoc fecerimus, & revelaverimus peccata nostra non soli Deo, sed his, qui mederi possunt vulneribus nostris, debentur peccata nostra. Hanc homiliam cum aliis in S. Lucam (quidquid ogganniat Dallæus) pro Origeniana agnovit S. Hieronym. de Script. Eccles. Qui iudicio limato & non præoccupato expendit tres locos Origenis à nobis relatos, fatebitur, illum testari, eundem tunc fuisse de confessionis Sacramentalis substantia sensum & usum, quem nunc docent & tenent Catholici.*

58. Nisi sola Dni P. vestigia persequi statutum nobis esset, etiam ex sæculo 3. 4. 5. inter alios sisteremus in eandem doctrinam nostram conspirantes Viros in Ecclesia maximos,

quorum verba parati reddere, locos solum  
indicare volumus. Legatur S. *Cyprianus*  
(obiit sub sæculi III. medium anno 258.)  
serm. 5. de Lapsis Edit. Basileensis, an. 1528. fol.  
227. Sæculo IV. in V. S. *Basilii* (ob. an. 378.)  
in *Regul. Brev. ad interrog.* 208. & 229. S.  
*Greg. Nyss.* (ob. 378.) *Epist. Can. ad Letojum*  
*Episc. Mitelen.* S. *Ambr.* (ob. an. 397.) l. 2.  
de *pœnit.* c. 5. c. 6. c. 7. S. *Innoc. I.* (ob. 417.)  
*Epist. ad Decentium Eugub.* S. *Hieron.* (ob.  
circa an. 420.) *Comment. in Eccles.* c. 10. &  
*Comment. in c. 16. Matth.* & alii, è quorum nu-  
merosa Caterva, quia D. P. arrodit Hipponen-  
sem Episcopum & Doctorem Ecclesiæ, de  
hoc nunc paulò uberiùs agendum.

59. S. *Augustinus* (ob. an. 430.) L. 50. ho-  
miliar. hom. 49. adulteros ad agendam pœni-  
tentiam, qualis agitur in Ecclesia Dei, ita ex-  
hortatur: *nemo vestrum dicat: occultè ago: apud*  
*Deum ago ... ergo sine causa dictum est: Quo-*  
*rum remisistis ... ergo sine causa sunt claves*  
*datæ Ecclesiæ?* D. P. pag. 199. cum Dallæo,,  
jubet S. Augustinum exponi de Confessione,  
non privata, sed publica coram toto cœtu  
fidelium tunc usitata in Ecclesia., & Exposi-  
tionis inanitas patet 1. quia S. *Aug.* publicè &  
generatim, uti de aliis sceleribus ibidem con-  
cionatus est ad aliorum peccatorum reos, ita  
etiam loquitur ad illos, si fortassè adessent,  
qui adulterium commisissent, quod nec factò  
ipso, nec judiciali delatione publicum est;  
igitur



igitur loquitur de peccatis occultis in Confessione aperiendis: 2. Docet, quòd non sufficiat ad peccatorum remissionem, si peccator de suis peccatis sibi ipsi imponat, intèrque lachrymas coram solo Deo occultè obeat opera pœnalia. Contra hos S. Pater ostendit, non quancùnque pœnitentiam sufficere, sed recurrendum ad eos, qui potestate clavium præditi solvere aut ligare possunt, alioquin frustrà Christus Apostolis dedisset claves regni cœlorum: *sinè causa dixisset: quæcùnque solveritis...* Claves autem esse penes populum, & non penes solos Antistites & Sacerdotes, nusquam docuit S. Augustinus, quin potiùs *homil. ult. inter 50. de similibus* clam coram solo Deo pœnitentiam sibimet ipsis impositam tantùm agere volentibus, dicit, hoc quidem *bonum esse initium pœnitentiæ*; sed mox subdit: *neesse esse, ut talis veniat ad Antistites, per quos in Ecclesia claves administrantur.* Et ibid. monet: *ut si peccatum non tantùm in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo aliorum est, atque hoc expedire Ecclesiæ utilitati videatur Antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere pœnitentiam, non recuset, non reluctetur.* Simillima ante eum scripserat Origenes *nro 55. relatus.* Ergo tempore S. Augustini peccata etiam occulta erant privatim confitenda Sacerdoti, & pœnitentia publica non agebatur nisi post præmissam privaram Confessionem Sacramentalem, in qua Sacerdos, cognitis omnibus peccatis, suo ju-

dicio determinabat, quænam præ cæteris cum ædificatione etiam publicè exponi, vel non exponi conveniat.

60. Neque hæc de solis adulteriis, & non etiam quibuscunque peccatis coram Sacerdote privatim prius exponendis dictum pures. Si enim non de quibuscunque gravibus idipsum docere voluit Doctor Hipponensis, cur provocat ad verba Christi indefinitum & generalem exprimentia sensum: *quodcunque solveritis... quæcunque ligaveritis...* cur homil. inter 50. ultimâ docet, pœnitentiam subeundam pro omnibus peccatis, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Pœnitentiæ autem publicæ non omnia mortalia præsertim occulta ex Ecclesiæ statuto fuisse obnoxia vel ipse *Dallæus* fatetur. Igitur S. Augustinus inculcat pœnitentiam & Confessionem non coram solo Deo, sed coram Antistite aut Sacerdote de omnibus privatim agendam. Omne Dño Advers. effugium præclufit S. Aug. in Psalm. 66. *si non Confessus later, non Confessus damnaberis.* postea: *non confitentis conscientia saniem collegerat, cruciabat te, requiescere non sinebat.. adhibet NB. medicus fomenta verborum, & aliquando secat. Tu agnosce medici manum, confitere; exeat in Confessione & defluat NB. omnis sanies.* Quâ fronte hæc de publica, de aliquorum & non omnium Confessione id quisquam exponet?

61. S. Leo I. (ob. an. 461.) Epistolâ (juxta edit: antiquiorem) 80. ad Episcopos Campaniæ c. 3. Apostolicæ regulæ contrariam amoveri vult illam præsumptionem illicitâ usurpatione à quibusdam illius provinciæ Sacerdotibus committi solitam, dum exigebant, ut *de singulorum peccatorum genere, libello scriptæ confessio publicetur: cum reatus conscientiarum, sufficiat, solis Sacerdotibus indicari Confessione secretâ.* Ibidem S. Pontifex pergit: *removeatur tam improbabilis consuetudo (quâ omnium singulorum etiam occultorum publicam Confessionem exigebant) ne multi à penitentiae remediis arceantur, dum erubescunt aut metuunt, inimicis suis sua facta reſerari, quibus possunt Legum constitutione percelli.* Hæc postrema D. P. distinctivo caractere ita transfert pag. 198., Leo sagt hier / daß die öffentliche Beichte (Die doch in der ersten Kirchen recipirt ware) kein gute Gewohnheit seye; es seye besser / damit die Leuth nicht abgeschröckt werden / dem Priesster allein zu beichten. R. & Q. ad quid illa tua parenthesis? Dne P. Quorum delictorum Confessio publica in primitivæ Ecclesiæ usu fuit, & qualem abrogatam S. Leo voluit? an quorumcunque etiam occultorum criminum? hoc si insinuas, vel solus te redarguet tuus Dal-læus; occultorum Confessionem nunquam præcepit primitiva Ecclesia. Quid ergo in Campanis Sacerdotibus improbat Pontifex? non sanè quòd publicorum, sed occultorum

quoque Confessionem publicam extorquere præsumpserint, præsumptione regulis Apostolicis contrariâ. Ex iisdem regulis declarat, ad veniam culparum obtinendam sufficere dolorosam coram Sacerdote Confessionem privatam; eoquod multi alioquin ex verecundiæ & publicæ Confessionis metu abstinere à necessario reconciliationis remedio. Ex qua ratione manifestum est, *S. Leonis* sensum non restringi ad sola ea crimina adhuc occulta, quæ Legum civilium severitate justâ plectuntur, si publicentur, uti homicidia, adulteria &c. sed extendi ad quæcunque occulta, quæ erubescerent, si publicarentur. De his omnibus *ibid.* docet: *Sufficit illa Confessio, quæ primùm Deo offertur, tum Sacerdoti, qui pro delictis precatior accedit: tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* An verbis *Divi Leonis* conveniat versio & prætextus *Dni P.* sensus, judicet æquus Lector. 2. Q. cur sufficere & melius esse pro Synonymis usurpat *Dnus P.*? an consilii tantùm rationem *S. Leonis* verbis contineri, obtendet? an quod Confessio coram Sacerdote de omnibus peccatis non sit jure divino necessaria? Hanc omnium Confessionem privatam ità esse necessariam docuit sufficere, ut non requiratur publica.

62. Sensem hunc suum & illius in Ecclesia sæculo V. usum *S. Leo* uberiùs declarat Epistolâ 82. (aliàs 91.) ad *Theodorum* Forojuliensem;

sem: *Mediator Dei & hominum Christus JEsus, hanc Præpositis Ecclesiæ dedit potestatem, ut & NB. confitentibus actionem pœnitentiæ darent, (en Confessionem à pœnitentia satisfactoria publica distinctam & huic præmittendam) & eosdem salubri Confessione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittant. Infrà docet: multiplex misericordia Dei ità subvenit lapsibus hominis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ veniam spes reparetur vitæ æternæ, ut qui NB. regenerationis dona violassent, proprio se condemnantes judicio, ad remissionem pervenerent, NB. sic divinæ bonitatis præsidis ordinatis, ut indulgentia Dei NB. nisi Sacerdotum supplicationibus possit obtineri. Unde palpabis 1. Deus Sacerdotibus dedit potestatem, ut confitentibus pœnitentiam darent; ut reconciliant, & reconciliatos ad alia Sacramenta admitendo judicent. Igitur Confessio non publica populo, sed Sacerdoti privatim facta statuitur necessaria; Confessio non generatim sed singillatim enuntians peccata omnia, quomodo (ut tu ipse agnoveras pag. tuâ 189.) cæteroquin injungeretur satisfactio congrua? 2. non nisi peccata Confessi per absolutionem Sacerdotis reconciliativam obtinere veniam possunt ii, qui regenerationis donum violârunt: hoc donum violatur, sive gratia in Baptismo accepta amittitur per quodlibet etiam occultum mortale; nec pœnitentiæ nec Confessioni publicæ*

quælibet etiam occulta peccata debere subijci  
decidit S. Leo Epist. 80. cit. igitur singula  
peccata etiam occulta privatim Sacerdoti  
confitenda esse, ex doctrina divino. Apo-  
stolica & requiri & sufficere, tradit. Alios  
V. & VI. sæculi Patres in præsentia ita cum ve-  
neratione præterimus, ut tamen in gratiam  
D. Prof. Tüb. libeat referre unicum Græcum,  
quia minimè *Latinisatum*, adeoque Dno P. mi-  
nùs suspectum; nec oportet omittere S.  
*Bernardum*, cujus verba sibi à R. P. Seedorff  
opposita & clarè proposita, D. P. querula-  
tur, se non potuisse invenire.

63. Ex sæculo igitur VI. exspirante præ-  
cæteris Græcis prodeat *Joannes Fejunator*,  
Patriarcha Ccpolitanus. Hic in libro  
*pœnitentiali* pro directione Sacerdotum & pœ-  
nitentium anno 586. digesto, inter cætera  
modum etiam, quo Confessarium cum pœ-  
nitente agere oporteat, sic docet: *assumet Sa-  
cerdos peccata Confessurum, dicens: fili! nihil co-  
ram me cela, quæ à te clam facta sunt, velut si  
Deo occulta cordium cognoscenti confitereris.  
postea eum interrogat &c.* Ibi prolixum textu  
catalogum per omnes peccatorum species,  
de quibus, si non sponte se accuset, enuclea-  
tè debeat interrogari pœnitens, an alicujus  
eorum se reum agnoscat. Si calamo nostro  
non credas, inspice vel unicum *Joannis Mo-  
vini Commentarium Historiæ de Disciplina  
in administratione Sacram. pœnit.* ad cujus  
operis

operis calcem in appendice fol. 91. edit. Antwerp. anni 1682. extat ejusdem Patriarchæ prolixum pœnitentiale Græco & Latino idiomate propositum. Tua in antiquis Annalibus notitia, tibi suggeret, quantâ contra Gregorium I. arrogantiam *Joannes* ille Episcopi Oecumenici titulum sibi arrogarit. Ecclesiæ igitur Latinæ & Sedis Romanæ Contemptor *Joannes*, tamen luculentus est testis, Confessionem privatam & quidem specificam sæculo etiamnum VI. viguisse in Ecclesia Orientali, proinde sæculo IV. expirante non fuisse in Oriente per *Nectarium* Cpolit. abrogatam. Cujus figmenti vanitatem §. proximus elucidabit.

64. Pium erat Dni P. desiderium pag. 194. Es wäre zu wünschen / daß der Herr, Wegner die Stelle des Bernardi recht allegirt / und das Caput oder die Paginam recht angezeigt hätte. R. Adversarius tuus vir prudens, & solidæ brevitatis amans, præsumebat Tibi, præsertim Viro tam famoso & vastissimam Patrum notitiam Criticam jactanti sufficere, si allegaret solum, quem etiam notavit, titulum *de Grad. Confess.* Calamo sincerissimo dedit Mellei Doctoris verba, quæ veritatis mel propinant nobis, Tibi aculeos. Editionis Lugdunensis an. 1679. Tom II. Oper. S. Bernardi invenies Serm. 40. *de septem gradibus Confessionis.* Inspice fol. 230. *quartus*, inquit, *gradus est Confessio oris.* Post cognitionem sui, post pœnitentiam-

rentiam mentis, post dolorem Cordis sequitur Confessio oris. Qualitates ad hanc requisitas docet esse, ut sit vera sine simulatione, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur nec fictione palliatur, sed in spiritu contribulato profert ea, quæ sentit. 2. nuda. nudam esse oportet, & totius absconsionis velamine exutam. NB. quid enim prodest partem peccatorum dicere, partem celare? ex parte mundari, & ex parte immunditiæ servire? nunquid de uno eodemque vase dulce & amarum, sapidum & insipidum stillare potest? omnia nuda & aperta sunt oculis Dei, & tu illi aliquid abscondis, qui NB. Dei locum in tanto obtinet Sacramento? ostende & denuda, quæcunque cor tuum dilaceraverant. postea. 3. Debèt autem & esse propria: sunt enim plerique, qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, nesciunt sua.

65. Quid ad secundam in Confessione oris requisitam qualitatem sibi oppositam Dnus P. pag. 195. duo misella quærit effugia. „Primum, quòd in Responsoriiis ad P. Scheffmacher alium locum Dnus Cancellar. Acad. opponat ex Bernardo dicente, Peccatricem Luc. 7. absque verbo ullo, proinde absque Confessione obtinuisse absolutionem.„ R. Sed nec Sermone nec folium allegas, mi Domine! Cur? noveras sanè hæc ipsa à S. Bernardo dici hoc ipso sermone 40. de Grad. Conf. quem antea simulabas tibi incognitum. Noveras ibi n. 2. nobis fol. 229. col. 1. ad ostendendam Dei mise-



misereticordissimam benignitatem erga pœnitentes, & virtutis pœnitentiæ tum necessitatem tum utilitatem, non peccatricem modò *Luc. 7.* sed *Davidem* quòque, *Petrum*, & *Latronem* in cruce citra Confessionem esse absolutos: ex his autem, Davide à solo Deo & aliis ab ipso Christo ante consummatam S. suam Passionem veniâ donatis imbelles ad statum Legis Evangelicæ jam promulgatæ esse argumentum *nro 30. & 31.* demonstravimus. Nec Sermone laudato illorum pœnitentiam *Sacramenti* nomine compellat *Claravallensis Doctor.* At verò de Confessione oris n. 6., de simulatoribus Confessionem oris vitiantibus ait: *in tanto NB. signaeulo se condemnantes, sub quo totius humanæ salutis summa consistit.* Ibidem docet, requiri talem Confessionem, quæ *nihil abscondat illi, qui Dei locum in tanto obtinet Sacramento.*

66. Alterum effugium est: quòd *S. Bernardus Serm. de Grad. Confess.*, id unum exegerit, ut, si tamen aliquis peccata nominatim vel in specie confiteri veller, ex hypocrisi non taceantur, quæ probrosè turpia sunt., &c. Ubi denuò fides boni viri? an inspexisti *Melilui* verba? si non: cur illi affingis planè aliena? si inspexisti, studiosè fallis. Ubi *Sacerrimus* hic *Abbas* ponit hanc arbitrariam conditionem, *siquis velit?* Tu conditionatum obtrudis sensum: *siquis velit* specificè confiteri peccata: quasi verò veniam quis ob-

tinere

tinere posset, citra Confessionem nudam nihil celantem. Ubi hæc S. Bernardus? Lege verba à nobis relata: simpliciter, absolute enuntiant. Lege Ejusdem Serm. num 6. sub initium. *Ipsa (Confessio oris) triplex est, si NB. virtutem salutis assequitur, debet NB. debet esse vera, nuda, propria. Nudam esse oportet: quid prodest partem peccatorum dicere? manu igitur palpari possunt tuæ in torquendis SS. Patrum verbis artes, viro Theologo haud parùm probrosæ. Habes jam locum Melliflui, quem simulabas tibi ignotum, quia noveras irrefragabilem. Habes clarissimam Epitomen Catholici de Sacramentali Confessione dogmatis. Habes, quod fictè optabas: utere in bonum tuum, utere, & noli calaminus fideli porrò imponere aut palpum obtrudere Lectori ignavo. Hæc quia non ità pridem erant Dni Pfaffii in Dissertatione de purgatorio; Tu pro tuo erga illum studio recipere bona amici non gravaberis, & habere tua.*

§. II. *Enervantur argumenta alia  
D. Advers. ex primo Ecclesiæ  
ævo corrasa.*

67. **P**rimum inter hæc locum habeat, insigni cum præfidentia, sinè ullo apparentis veri colore ex *Dallæo Puritano* haustum Dni P. effatum pag. 190. „certum est, quòd  
Con.

Confessio privata primo Christianæ religionis ævo non fuerit recepta., R. Dne P. Viris loqueris ; si Battologum non agis, da rationem. Quænam illa ? , Quis enim, reponis, ignorat, primis illis temporibus *Exomologesein* sive Confessionem publicam fuisse in usu, dum illi, qui in delicta probrosè enormia lapsi, & propterea ab Ecclesia exclusi, publicè coram cœtu fidelium debebant ea confiteri Episcopo, & sic per Episcopalem absolutionem restituti sunt in communionem Ecclesiæ., R. More tibi recepto garris, & confundis & malè supponis multa: quod ad rem sit, probas nihil. Excutiamus singula. Prætendis à nobis supponi, & *Kemnitii* æquè ac *Dallæi* Reformati effugio usurus, contendis persuadere, Græcum *Exomologeseos* vocabulum ab antiquis Patribus ad solius publicæ Confessionis significationem fuisse restrictum. Erras, & erroris cupis socios. Illud vocabulum origine Græcum, sed civitate Latii, sæculo II. exeunte, jam donatum esse, constat quidem ex *Tertulliani* lib. de pœnit. c. 9. Ast non pro sola Confessione publica sed tota pœnitentiæ etiam publicæ actione (cujus pars aliqua, neque tamen indispensabiliter semper conjuncta, tunc erat Confessio publica) usurpatum fuisse, haud gravatè admittimus. Ad solam verò hujus pœnitentiæ publicæ significationem usu communi Patrum fuisse restrictum & limitatum, negamus.

68. Sicut Tertullianus loc. cit. dicit, *Exomologesi* esse, quā delictum Domino nostro confitemur (hanc Confessionem certè non dices publicam) ità locis §. præcedente relatis eodem utens vocabulo, Confessionem etiam occultorum coram Medico spirituali privatim factam exprimit; & non ille modò, sed & alii Patres, quorum verba & sensum genuinum à violentia tui Equulei liberavimus. Præ cæteris sola etiam te redarguit Epistol. 18. *S. Cypriani*, in qua agens de Lapsis statuit, ut, si gravi infirmitate & periculo premi cœperint, *Exomologesi factâ reconcilientur*. Desiperet, qui per exomologesi ibi intelligi urgeret, actionem pœnitentiæ publicæ, cum Confessione publica coram cœtu fidelium prius exsolvendam à moribundis. Significat igitur Confessionem quòque privatam. Sapienter monuit eruditissimus Theologiæ Dogmaticæ Magister *Dionysius Petav.* in *Annot. ad S. Epiphani.* cautè & prudenter in hujus vocis (*Exomologesis*) interpretatione versandum esse, ut ex ipso narrationis contextu, quo sensu à Patribus usurpata sit, dijudicare possimus. Si necdum acquiescere lubet, remittimus te ad *Morini Commentar. de Administratione Sacram. Pœnit. Sæculis tredecim prioribus observata*. Hic L. 2. c. 2. diversum usum hujus vocabuli ad significandam vel publicam Confessionem vel privatam Sæculo III. in Ecclesia viguisse demonstrat. C. 3. significatam esse  
 priva-

privatam ostendit ex distinctione diversorum peccatorum à Tertulliano tum adhuc Catholico tum jam hæretico usurpata; tum ex controversia Catholicos inter & Montanistas agitata circa distinctionem noxarum remissibilem & (ex Montanistarum cacophrafi) per claves Ecclesiæ irremissibilem. cap. 4. ex Catholicorum, præsertim *S. Ambrosii* cum Novatianis disceptatione. &c. cap. 5. ex *S. Cypriano* publica & enormia ab occultis distinguente; invictè tandem concludit, per hoc vocabulum Sæculo III. omnia mortalia etiam secreta confitendi obligationem fuisse significatam idiomate in Ecclesia illius temporis receptissimo.

69. Sinistrum, imò falsum est alterum suppositum tuum: quasi verò peccatoribus publicæ etiam pœnitentiæ subjectis præter Canonicam à pœnis Ecclesiasticis absolutionem, decurso pœnitentiæ publicæ stadio, publicam solennitate ab Episcopo impertitam, non fuerit cura & quidem potissima de absolutione Sacramentali ab omnibus gravibus culpis vel per Episcopum vel per Sacerdotem impertienda. Hujus quoque falsitatem Somnii eliquavit §. præcedens: ulterius eam confutat Patrum doctrina & sollicitudo, nequis publicæ etiam pœnitentiæ stadium necdum emensus, & intereà ad mortis confinia deductus, per Sacerdotum negligentiam aut duritiam sinatur ex hac vita decedere sine reconciliatione & absolutione, certè non sinè sola absolutione cano-

nica ab obligatione ad pœnas canonicas, harum enim debitum solum à salute non retrahit, sed non sinè absolutione etiam à culpis & reconciliatione cum Deo. Lege *S. Innoc. I. Epist. 3. ad Exuperium*, c. 2. *S. Cælestin. I. Epist. 2. ad Episc. Provinc. Concil. Arausic. I. Can. 12. Carthag. IV. - Can. 76.* Ab his statuitur, uti necdum Baptizatos Baptismo statim initiandos, ita fideles etiam si publicæ pœnitentiæ ob delicta reservata obnoxios, in gravi infirmitate, si exomologesin faciant, à Sacerdote esse absolvendos, & SS. Euchariistiâ reficiendos. Vide *S. Ambrosium L. 2. de pœnit. c. 3. evidentissimè Domini prædicatione mandatum est, gravissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifestâ Confessione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cælestis refundendam gratiam.* Vide *S. Aug. l. 1. de adulterin. conjug. ad Pollent. c. 26. Epist. 180. ad Honoratum.* Vide *S. Leonem I. Epist. 72. aliàs 91. ad Theodorum Forojul. Si etiam (in tempore necessitatis, de qua paulò antè dixerat) aliquâ ægritudine ità gravati fuerint, ut, quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.* Antiquiorum igitur fidelium hoc erat commune desiderium, & Antiqua primi ævi Ecclesia jam statuit, ut nemo decederet ex hac vita sinè pace, non tantùm cum Ecclesia,

lia, sed maximè non sinè pace & reconcilia-  
 tione cum Deo, & venia peccatorum mini-  
 stero Sacerdotum obtenta. Vero autem ne  
 simile quidem esse potest, quòd omnes Chri-  
 stiani illorum temporum, vel potior eorum  
 pars, habuerint peccata vel ipso facto publica,  
 vel ab aliquibus denunciata, vel reservationi  
 Episcopali, vel pœnitentiæ canonicæ obnoxia,  
 vel ob quæ exclusi fuerint à communione Ec-  
 clesiæ; igitur quicunque moribundi deside-  
 rabant, & quicunque cordis pœnitentiam  
 & oris Confessionem ostendebant, his, urgen-  
 te ipsâ Ecclesiâ, Sacerdotes privatim impar-  
 tiebant absolutionem à peccatis, & non tan-  
 tùm à pœnis Ecclesiasticis. Neque circa mo-  
 ribundos duntaxat, sed etiam alios peccato-  
 res eandem fuisse Ecclesiæ praxin coram Sa-  
 cerdote ritè Confessos, etiamsi pœnitentiæ  
 publicæ obnoxios, tamen statim à peccatis  
 absolvendi, antequam pœnitentiæ publicæ la-  
 bores pœnales obirent, restantur *S. Cyprianus*  
*Epist. 20. ad Interrogata Caldonii. Epist. 51.*  
*ad Cornel. Epist. 52. ad Antonian.* Ne longiores  
 simus in cumulandis Patrum testimoniis, con-  
 sulte *Morinum L. 4. c. 19. L. 9. c. 16.*

70. Magis mirum, quod D. P. ead. pag.  
 190. ad firmanda sua priora commenta non  
 horruerit scribere: *Gerner ist ohnwoiederprech-*  
*lich / daß man in denen ersten Zeiten zum heiligen*  
*Abendmahl ohne beicht gienge.* Hujus æquivoci  
 ænigmatis OEdipum te poscimus, D. P. ! Par-

ricularis, an universalis est tua hæc assertio? Si sensum habet hunc particularem: aliqui vel multi fideles olim accedebant & admittebantur ad SS. Eucharistiæ usum & quidem sine prævia peccatorum Confessione? verum dicis, nam & eximie Sancti & multi tam in primo, quàm quolibet posteriore Ecclesiæ ævo nullius culpæ lethiferæ sibi conscii jure hoc suo utebantur, & utuntur vel ad divini Sacrificii celebrationem, vel SS. Eucharistiæ susceptionem: sed de his, quæ in præsentia controversia? nullam esse fateberis. Si assertio tua habet sensum hunc universalem, etiam ad quoscunque peccati mortalis conscios extensum, ut hos sine Confessione, sine absolutione à peccatis per Sacerdotes, vel sciente & vel approbante vel indulgente Ecclesiâ ad communionem Eucharisticam jure suo accessisse, dicas: capi vix potest, quomodo vir gravis, publicis inter suos inclytus officiis, sine fraudis vel sine falsi apud prudentes suspitione fundatissima, possit pro veritate venditare assertum, cui Patrum monumenta aperitissima & perpetua Ecclesiæ praxis evidenter contradicunt. In controversia dogmatica nudis assertis, nullâ vel apparente ratione sufful-tis, velle rem agere ( iterùm dicimus ) Batto-logi est, non Theologi.

71. Peccatores Sacerdotibus planè nullâ humanâ notitiâ cogniti, quorum crimina vel ex facto ipso vel legitimâ denuntiatione necdum patent, ad sacram synaxin publicè accedentes



ab Ecclesiæ Ministris non arceri, nemo negaverit: quomodo enim arceantur, quorum status interior *humanæ* cognitionis aciem fugit? Horum tamen malitiam in exemplum trahendam non esse, *hom. ult. inter 50. docet S. August. multi tolerantur ut Judas; multi nesciuntur, donec veniat dies Domini magnus, qui illuminat abscondita tenebrarum.* Jus autem ad divinam hanc mensam cum conscientia peccari per Sacramentalem Confessionem & absolutionem non expiati accedendi, quod secundum legem Christi habeant; quod notoriè peccatores & Sacramento pœnitentiæ necdum Deo reconciliati, tamen admittendi sint ad Epuli divini participationem, hoc quæritur, an Ecclesia unquam vel docuerit, vel praxi ipsâ approbârit? Utrûmque, aut alterutrum si affirmas, assertum illud tuum (phrasi tibi familiari utimur) *ist grund falsch!* fallissimum est. Hujus tuæ falsitatis testis est Apostolus 1. Cor. 11. v. 27. Testis *S. Cyprianus*, Edition. Basil. 1521. fol. 222. *Serm. 5. de Lapsis, vehementissimè detonans in eos, qui simulat à animi puritate, ante Exomologesin factam, ante purgatam conscientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Illi scilicet, de quibus paulò antè dixerat, qui sordidat à conscientia Corpus Domini invadunt; cum occurrat Scriptura: non potestis mensæ Domini communicare & mensæ dæmoniorum.*

I. Cor. 10. v. 21. & quicumque ederit.... indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. I. Cor. 11. v. 27. Spretis his omnibus, vis infertur corpori & sanguini Domini.

Testis est S. Chrysostom. hom. 30. in Genes. quæ præparatio ad Communionem Paschalem olim viguerit: *Quia ad magnam hanc hebdomadam pervenimus gratiâ Dei, nunc maximè & intendendus jejunii cursus, & magis continuandæ sunt preces, faciendæque diligens & pura peccatorum Confessio.*

Homil. 55. in eos, qui pascha jejunant, eadem dicit. *Quam ob causam recurrimus per hos quadraginta dies? multi quondam temerè ac sinè judicio præcipuè verò hoc tempore, quo Christus ea tradidit, sacra Mysteria accedebant. Cum verò intelligerent Patres, quantum ex temerario accessu detrimentum caperetur, quadraginta dies jejniis designârunt, ut in his diebus omnes per preces, per Eleemosynam, per jejunium, per vigiliâs, per lacrymas, per Confessionem ac cætera omnia diligenter expurgeti cum conscientia pura accedamus.* Hæc ad SS. Eucharistiæ susceptionem præparatio communis erat, & pertinens ad omnes: inter ejus partes præcipuas erat *diligens & pura peccatorum Confessio, Exomologesis*: hoc nomine ne denuò ad solam pœnitentiam publicam vel Confessionem publicam extorquendam abutaris, prohibeat te metus iniquæ calumniæ in omnes illius Ecclesiæ fideles; perinde enim diceres,

ceres, ac omnes & singulos fuisse enormium & nonnisi publicæ poenitentiae rigore expiandorum scelerum reos. In ore duorum testimonium steterit verbum veritatis, confundens pseudologam tui asserti oppositi audaciam. Horum autoritas si tibi fat ponderis ex numero non habet; eisdem consonos ex sæculo V. vide S. Aug. Serm. ult. inter 50. S. Leon. Epist. 91. ad Theodor. Forojul.

72. Ad celebre *Nectarii Episcopi Cypolit.* factum appellatur à DD. Adv. De hoc illi ipsi inter se discordant. *Musculus* & alii sentiunt cum *Calvino* L. 3. Inst. c. 4. de Confessione auriculari, scribente §. 7. *Cujus quidem vetustissimum usum esse, fatemur; sed quem facile convincere possumus, olim fuisse liberum.* unde evincit? Ex *Sozomeno* refert, fuisse quidem olim in qualibet Ecclesia Presbyteros Confessarios ab Episcopis constitutos, sed horum officium, & omnem privatim confitendi ritum à *Nectario Cypolit.* & ab omnibus Orientalibus Episcopis esse abrogatum. His subdit pro sua humanitate in Catholicos usitata: *hic arrigant aures, Asini isti. Si Lex Dei erat auricularis Confessio, qui ausus est Nectarius eam refigere?* Supra Magistrum sapere volens *Dallæus* cautiore subtilitate L. 4. de Conf. c. 24. negat, unquam in Ecclesia receptam fuisse Confessionem privatam, proinde non hanc, sed publicam antea usitatam, esse abrogatam à *Nectario*. Igitur, *Dallæo* iudice, falsum

scripsit *Calvinus*. Scopas dissolutas quis colliget? Neutrum evincunt. *Dallæi*, an *Calvini* sensum sibi appropriet D. Prof. Tüb. aliorum divinationi more suo vix non reliquisset. Verè tamen *Calvinum* sapit, quod ponit fol. 200. & 201. „ante persecutionem Decianam in usu fuisse solam Confessionem publicam, sub medium verò sæculi III. in qualibet Ecclesia fuisse constitutos Confessarios *Beichtväter*, quibus enormium peccatorum Confessio fieri poterat. Sed sub sæculi IV. finem, à Nectario *Sacerdotes Confessarios Beichtpriester* esse abrogatos, & cuilibet indultum esse, sinè Confessione accedere ad Cœnam.,, R. Ante horum confutationem tibi reddo, quod tuus *Dallæus Calvinus*: *Quæso!* qui abrogari potuit Confessio, quæ nusquam usitata deprehenditur? Quoties mi D. ! in tuis foliis scriptitas, auricularem Confessionem coram Sacerdote non fuisse unquam usitatam in primitiva Ecclesia? Hoc loco clamas, eam esse sæculo IV. abrogatam à Nectario. An tunc abrogari poterat, si non fuisset ante sæculi IV. finem?

73. Ad rem ipsam propiùs accessuri, contra testes, quos D. P. producit *Socratem* & *Sozomenum*, justo titulo possemus excipere. *De Novatiana* hæresi, omnem gravia peccata fidelibus relaxandi potestatem Sacerdotibus & Episcopis negante, plurimùm suspectum, imò eâ infectum fuisse *Socratem*, inter alios probant *Niceph. l. 6. c. 37. l. 9. c. 13. Card. Baron.*

ad ann. Christi 56. a. n. 16. Sozomenum quóque in pluribus esse suspectæ fidei, scribit S. Greg. M. in *Regest.* L. 2. Sed sit sua illis quæcúnque fides in referendo *Nectarii* factó, imò sint contrarii vobis testes, quos elegistis Ipsi. Specimen facti ex utróque fideliter desumptum ob oculos poni necesse est.

*Socrates* L. 5. c. 19. *Sozomen.* L. 7. c. 16. ità referunt: cum ante persecutionem *Decii* (ortam sub annum 252.) peccatorum enormium rei pro obtinenda reconciliatione debuerint *Sacerdotibus* tanquam in theatro circumstante totius *Ecclesiæ* multitudinè, delicta sua evulgare: Sæviente autem *Decio* Imperatore Lapsorum multitudo cum augeretur, *Episcopi* Catholici in qualibet *Ecclesia* constituerunt ex presbyteris aliquem, qui (ita *Sozomen.*) vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate polleret; apud quem ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Idem magis dilucidè *Socrates*: *Episcopi* penitentiarium presbyterum albo *Ecclesiæ* adjecerunt, ut qui post *Baptismum* lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto delicta confiterentur. Ille verò (ait *Sozom.*) pro cuiusque delicto, quid aut facere aut luere oporteret, pænæ loco indicans *NB* absolvebat confitentes, à seipsis pænas criminum exacturos. Hunc presbyterum in sua *Eccl.* *Constantinopolitana* circa annum 395. omnium primus exauthoravit *Nectarius*, quem omnes ferè *Ecclesiarum* Præsides in Oriente imitati sunt. Hujus abrogationis quæ occasio & cau-

sa? Dicat Socrates. Dum, inquit, mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiarium accedens NB. peccata, quæ post Baptismum admiserat, NB. particulatim confiteretur; presbyter Confessæ mandatum dat, ut jejuniis & continuis precibus se dederet, quod unâ cum Confessione opus dignum pœnitentiæ ostenderet. Mulier (ait Sozom.) ob eam causam diutiùs in templo morata, prodidit, se à Diacono in Ecclesia esse corruptam. Hoc cognito vulgus ob contumeliam Ecclesiæ illatam indignabatur, acerbissimisque calumniis premebantur Sacerdotes: propterea Nectarius Diaconum illum ejecit ex Ecclesia, & Pœnitentiarium exauctoravit. Ex eorum, quos produxisti, testium depositione, ex facti à *Calvino & Dallæo* jactati specie, quàm manifestè convincentia vestrasque opiniones jugulantia, quæ fluant argumenta, arri-  
*rigat aures*, & audiat Calvinus: audiat D. P. T. & quisquis cum eo Calvinizare amat. Inde enim  
 74. Deducimus. I. Jure divino ad impetrandam delictorum veniam, non soli Deo, sed Sacerdotibus confitenda esse peccata. Cùm (inquit Sozom. l. c.) dare veniam pœnitentibus Deus jusserit, & ad impetrandam veniam confiteri peccata necessarium sit; odiosum verò ab initio visum sit, tanquam in theatro, audiente Ecclesiæ multitudine, id publicè fieri: *Episcopi ex presbyteris aliquem...* 2. Confessionem huic presbytero factam, secretam fuisse: cur enim alioquin selegissent talem, qui secre-

torum

torum tenax erat? 3. Eam Confessionem fuisse de omnibus & singulis peccatis. Ut *coram presbytero delicta confiterentur*. Mulier illa *nobilis omnia post Baptismum commissa Particulatim confitebatur*. Ita *Socrat. l. cit. En secretam, specificam, numericam, omnium Confessionem coram Sacerdote solo*.

75. Deducimus II. nec ante, nec sub, nec post hujus Pœnitentarii tempora, hunc fuisse unicum & solum in singulis Ecclesiis Confessarium pro quibuscunque fidelibus, quin alii plures fuerint destinati Sacerdotes Confessioni privatæ eorum, quorum peccata pœnæ Canonice & publicæ non erant reservata. Nam 1. ad Pœnitentarium recurrere tenebantur illi tantum, qui ob peccata publicæ pœnitentiæ obnoxia, proin reservata, ejusdem duntaxat iudicio stare, & ab eo absolutionem petere tenebantur, Jurisdictione in peccata reservata reliquis Confessariis per Episcopos non indultâ. 2. Quomodo omnibus fidelibus, nullo reservato contaminatis, unus in qualibet urbe pœnitentarius suffecisset audiendis? 3. Plures in qualibet Ecclesia Confessarios inferiores ab Episcopis fuisse destinatos, sexaginta annis ante constitutum Pœnitentarium testatur *Tertullianus. V. nr. 53.* sub ipsa Decianæ persecutionis tempora id testatur *Origenes. V. nr. 55. S. Dionysius* ab anno 246. ad annum 255. *Alexandrin. Episcopus* in sua ad Fabiolam Epistola referens de quodam Serapione in persecutione lapsa, qui

qui gravi pressus infirmitate puerum ad presbyterum vicinum misit accersendum pro Confessione, utique privata & privata reconcilia-  
tione: qui & ipse presbyter non ob defectum potestatis, sed imbecillitate virium impeditus Serapioni succurrere non poterat.

76. Deducimus III. Post obitum *Nectarii* circ. an. 397. defuncti, Confessionem non publicam modò publicorum criminum, sed & privatam mansisse in Occidente, præsertim in Romana Ecclesia, testem habes *Sozomenum* l. c. Etiam in Africa, quod patet ex *S. Aug.* hom. 49. & ult. inter 50. & L. *de fide & operibus*. c. 26. Etiam in ipso Oriente, nam eodem tempore *S. Chrysostrmus Nectarii* immediatus successor, quamvis pœnitentiæ publicæ usum pro publicis peccatis Canonicis restituerit, fatente ipso Dallæo L. 4. de Confess. c. 12. privatas tamen ipse Confessiones frequentissimè excepit; de quo infra. Quod sub sæculi VI finem Sacerdotibus ab Episcopo destinatis fideles omnium peccatorum Confessionem specificam privatim etiam in Oriente fecerint, habes ex pœnitentiali *Joannis Jejunatoris V. nro* 63. Testimonia ævi mediæ reservamus ad §. proximum. Falsum igitur est, quòd *Nectarius*, & Orientales Episcopi Confessarios omnes privatim etiam audientes ac absolvere solitos abrogârint. Magis falsum, quòd vel publica vel privata Confessio eo sæculo fuerit ubique abrogata.



77. Deducimus IV. à Nectario & solis Orientalibus circa annum 395. abrogata tantum esse hæc tria : 1. Munus presbyteri Pœnitentiarii, quod erat præcipue antea ordinatum pro decernenda pœnitentia publica. *Socrates* enim l. c. scribit, quod *Evdæmon* Alexandrinus presbyter Episcopo *Nectario* suaserit, ut pœnitentiarium quidem presbyterum expungeret. *Sozomen*. L. c. notat: *Nectarius* presbyterum illum, qui præpositus erat Pœnitentibus, primus ex Ecclesia sustulit: adverte: pœnitentibus. Ecce! Pœnitentiarii hujus munus præcipuum erat, privatim audiendi & absolvendi pœnitentiæ publicæ obnoxios: Pœnitentes enim ex primævæ Ecclesiæ usu dicebantur, qui pœnitentiam agebant publicam. Cc. Tolet. 1. Can. 2. pœnitentem dicimus eum, qui post Baptismum aut pro homicidio, aut diversis gravissimis criminibus pœnitentiam publicam agit in cilicio. Igitur hoc speciale munus abrogavit Nectarius. 2. Abrogavit ipsam pœnitentiam publicam, quæ quoadusque impleta esset, conjuncta fuit cum privatione SS. Eucharistiæ, non tamen semper cum Confessione publica: 3. Abrogavit Confessionem publicam, quam pro suo arbitrio cum discretionem de quibusdam peccatis faciendam injungere poterat Pœnitentiarius. Ratio horum est, quia Nectarius, voluit abrogare omne id, quod populo tunc dederat, & porro dare poterat occasionem indignationis & Cavillationis publi-

cæ contra Clerum. Talem occasionem dederat longiorum in Ecclesia precum injuncta pœnitentia, & vel maximè imprudens Confessio publica Matronæ illius nobilis, quæ priùs Pœnitentiario privatim Confessa, & progressu temporis imprudenti devotione publicavit patratum cum Diacono facinus, ex cujus notitia ortus est tumultus populi. Igitur, his malis occursurus Nectarius & pœnitentiam publicam, & Confessionem publicam, & munus Pœnitentiarii pro Lapsis publicè pœnitentiam acturis destinati sustulit. 4. *Evdæmonem* Presbyterum Pœnitentiarii abrogandi suaforem sub fin. cap. cit. *Socrates* redarguit quòd ille suo consilio parùm videatur profuisse Ecclesiæ; quia ex eo ansa singulis data sit, ut delicta sua invicem non coarguant. Pœnitentiarii enim officio adhuc vigente, facile erat cuique alterius scelera coarguere, sibi privatim nota deferre ad tribunal externum presbyteri Pœnitentiarii, cujus erat præ cæteris delationes suscipere, accusatos & convictos publicæ pœnitentiæ subicere, vel anathemate ad tempus ab aliorum Sacramentorum usu usque ad expletam pœnitentiam arcere. Hujus proinde disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem in abrogatione tam Presbyteri Pœnitentiarii, quàm pœnitentiæ publicæ simul sublatum pro suo Novatianæ austeritatis Zelo improbat *Socrates*. Minimè autem queritur, eo quòque Nectarii decreto sublatam esse Confessionem  
nem

nem privatam solius coram solo Sacerdote, aut Pœnitentiam privatam: Ex his enim nulla ad alios criminum, de quibus fratres fratrem coarguerent, emanat notitia, proin si hujus Confessionis privatæ abrogationem *Evdæmon* suafisset, ex ejusdem abrogatione ansam alios redarguendi posthac fidelibus sublatam fore, *Socrates* dicere non potuisset.

78. Ast pag. ead. 201. inquit D. P., à Nectario permissum est, ut quilibet posthac sinè Confessione accedat ad cœnam Eucharisticam, R. 1. Infideli calamo corrumpis textum *Socratis*, qui l. c. ait, ab *Evdæmone* Presbytero Alexandrino suasum esse Nectario, ut *Pœnitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque verò pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad NB. Sacramentorum communionem sineret accedere.* Tu dicis: *ad Cœnam.* Et ad imposturam hanc non erubescis? an igitur Sacramenta N. L. omnia, in unico pro baptizatis SS. Eucharistiæ Sacramento comprehensa esse censuerunt vel *Evdæmon* vel *Nectarius*, vel ipse *Socrates* Novatianus? Non horum sed tuum ex *Calvino* sensum spirat corrupta illa citatio, calami tui libertate nobis obtrusa.

79. R. 2. Falsum est *Socratem* scribere, quod à Nectario permissum sit cuilibet fidei, gravi etiam noxâ inquinato, ut pro sua quisque pœnitentia interna coram solo Deo acta sinè ulla Confessione peccatorum externâ, sed  
pro

pro sua quisque conscientia accederet ad Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum usum fidelibus cæteris communem. Confer, quæ *Socrates* in principio, in medio, & sub calcem Cap. 19. refert. Ante *Nectarium* non nisi à Pœnitentiario Presbytero specialiter constituto absolvi poterant, qui peccati publicæ pœnitentiæ, vi Canonum reservati habebant conscientiam: hi de omnibus, licet privatim ea Confessi & absoluti, ad publicæ tamen pœnitentiæ onera (inter quæ erat suspensio Juris ad alia Sacramenta, ante expletam hanc pœnitentiam non suscipienda) adstringi poterant ab eodem pœnitentiaro. Sublato igitur pœnitentiarii officio, *Nectarius* liberum reliquit cuilibet, ut cujuscunque peccati reus apud quemcunque Confessarium maculas conscientiæ secreto exponeret, privatam secretamque duntaxat pœnitentiam ex arbitrio Sacerdotis ageret, ac Sacerdotali absolutione privatim, expiatus pro animi sui conscientia ad aliorum Sacrament. susceptionem accederet: *Néque enim* (ita *Evdæmonis* presbyteri verba refert *Socrates*) *néque enim aliter fieri possêt, ut Ecclesia ab omni probro libera esset.* Quale scilicet probrum intulerunt calumniæ populi contra Clerum ortæ ex occasione pœnitentiæ Mulieris illius nobilis, atque ex hujus imprudenti Confessione publica: quis igitur permissionem illam & libertatem ad Confessionis & pœnitentiæ etiam secretæ abrogationem referre contenderet,

vim verbis à *Socrate* notatis manifestam inferret; ridiculam obtruderet expositionem, imò si rei totius seriem ab eodem relatam legisset attentius, vim animo suo inutiliter faceret; cùm *Socrates* priorem coram Episcopo, etiam populo audiente, peccata reservata confitendi disciplinam referat, immutatam esse tempore *Decii*, novòque Canone Presbyterum Pœnitentiarium tunc esse constitutum, atque hunc, quia publicæ simul præsertim pœnitentiæ præsidem, à *Nectario* esse abrogatum. Hanc Pœnitentiarum, omnisque pœnitentiæ publicæ abrogationem suis deinde verbis sub finem ejusdem capituli 19. improbat, ejusque consilii authorem *Evdæmonem* reprehendit *Socrates*. Certum verò est, & à nobis tam suprâ demonstratum, quàm porrò demonstrandum, apud Græcos circa ipsa & post *Nectarii* tempora semper viguisse Confessionem secretam: proinde *Nectarius* (quem *Calvin* L. 3. C. 4. §. 7. *Virum sanctitate, & eruditione clarum* laudat) nulli fidelium vel obligationem sustulit, sua peccata privatim confitendi, vel licentiam indulgit, aliud Sacramentum suscipiendi cum conscientia vel unius mortalis peccati, nullâ etiam privatâ Confessione & Sacramentali absolutione expiati.

80. Unum oblitus videtur D. P. Tüb. quo argumenti sui infirmitatem fulciret cum *Calvino* l. 3. c. 4. §. 8. & *Dallæo*. *Hanc* (omnis

Confessionis) *abrogationem tot locis evidentē testatur Chrysoſtomus, ut mirum ſit, iſtos (Theologos Cathol.) contrā mutire. verba ſunt Calvin. Dallæus L. 4. c. 25. pro eodem Calvini aſſerto teſtem profert eundem S. Chryſoſt. hom. 21. ad pop. Antioch. hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura, quas etiam notavit Calvin. R. 1. Homiliæ 21<sup>mæ</sup> ad P. Antioch. præfixus eſt titulus: *Catecheſis ad illuminandos*, id eſt Catechumenos, vel inſtruendos ad Baptiſmum: in contextu ait: *priùs dixi, & nunc dico, & dicere non deſinam: ſiquis morum vitia non correxerit, ne Baptizetur.* proinde hæc homil. directè dicta erat ad Catechumenos: in his ad fructum Baptiſmi non prærequiri pœnitentiam pœnalem vel publicam, nec Confessionem publicam nec privatam, ſed internos animi peccata deteſtantis actus cum ſpe veniæ per Sacramentum regenerationis obtinendæ ſufficere, nemo eſt Catholicorum, qui non rueatur. Hic igitur locus non eſt ad rem præſentem.*

81. R. 2. Locis diverſis, ubi Confessionem ſoli Deo faciendam inculcat S. Chryſoſt. de uno ex his tribus agit. Vel 1. à Deo non exigi neceſſitatem Confessionis publicæ, qualem ſæculi Magiſtratus extorquet à facinorofis de crimine capitali convictis, qui & facinora ſua de genibus publicè velut in theatro fateri ad infamiam ſuam coguntur, & tamen ultimis afficiuntur ſuppliciiſ. Hoc ſenſu loquitur hom.

21. ad pop. Antioch. non exigi, ut quis in medium procedat, & palàm confiteatur, uti capti latrones à sæcularibus iudicibus coguntur facere, ad maiorem suâ infamiam. Hom. 5. de *incompreh. Dei Nat.* item hom. 4. de *Lazaro*. *neque eam homini dicis, ut probro te afficiat... non te cogo in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes.* Hoc infamiæ periculum cessat in Confessione privata coram Sacerdote ad sigillum rigidissimum adstricto. Vel 2. in aliis suadet Examen vespertinum conscientiæ quondianum, & actus pœnitentiæ internos. Hom. in *Psal. 50.* ait: *habe codicem in conscientia tua, & quotidiana peccata scribe... peccata tua tecum reputa, dicens: nunquid hodierno die opere vel sermone peccavi? Si in peccatorum memoriam venias, collachryma, atque hâc ratione in lecto tuo delere poteris, scilicet contritione perfectâ.* Nam 3. subinde hortatur ad frequentem pœnitentiam quondianam merè internam cordis perfectè contriti coram solo Deo effundendi. ita Hom. 9. de *pœnit.* Hom. de *Achab.* Hom. 31. in *Epist. ad Hebr.*

82. His verò dictis Orator Aureus pro diversitate, quod tractabat, argumenti diversis, necessitatem Confessionis Sacramentalis aliis in locis non exclusit, sed suo potiùs suffragio eandem à se agnitam exhibet L. 2. c. 3. & L. 3. c. 5. de *Sacerdotio.* Hom. 20. in *Genesim.* & Hom. 19. in *Epist. ad Hebr.* Declaratis modis ad obtinendam veniam requisitis, ait, *etiam*

oportere, ut peccator se gerat ad Sacerdotes, ut  
 convenit: *sin* autem dicit: *sum peccator*: ea au-  
 tem per species non cogitat, aut non supputat,  
 & non dicit: hoc & illud peccatum admisi: nun-  
 quam cessabit, semper quidem confitens, nullam au-  
 tem gerens correctionis curam. Denique si *S. Chry-*  
*soft.* Confessionem privatam censuit, vel non  
 necessariam, vel suo etiam tempore non am-  
 pliùs usitatam, cur *Socrates* L. 6. c. 19. illum  
 fuggillat, quòd publica in dictione invitârit  
 sæpiùs relapsos, ut ad se venirent peccata sua  
 exponentes, & remissionem ab ipso obtine-  
 rent? Cur *Isaacius* in Pseudo-Synodo contra  
 illum coacta, septimum hunc protulit accu-  
 sationis articulum; quòd *Chrysoft.* privatim  
 Confessiones exceperit, ac statim absolverit  
 sibi Confessos? quòd auditus sit dicere: *pec-*  
*câsti iterum, pœnitentiam age* (sanè non pub-  
 licam, hanc enim olim non nisi semel dicta-  
 tam aut admissam, Dno Prof. non potest esse  
 ignotum) & *quoties peccaveris, veni ad me,*  
*ego sanabo.* Sæculo etiam VI. & VII. Con-  
 fessionem privatam in Oriente usitatam fuisse  
 vide *nr.* 63. Falsum igitur est 1. quòd ex  
 primo Ecclesiæ ævo Confessio specifica co-  
 ram Sacerdote, quòd privata non fuerit usu  
 fidelium recepta, sed sola publica. Falsum  
 est 2. quòd primis temporibus quibuscunque  
 etiam peccatoribus humanitùs cognitis nullâ  
 Sacramentali Confessione reconciliatis Eccle-  
 sia permiserit usum SS. Eucharistiæ. Falsum  
 est



est 3. Confessionem privatam authore *Nectario* esse abrogatam in *Oriente*.

§. III. *Franguntur Machinae ex medio Ecclesiae Aëvo coacervatae.*

83. **M**edium quóque Ecclesiae ævum per-  
lustrat D.P. pag. 191., Ipsi, inquit,  
in Ecclesia Romana viri eruditi fatentur, quòd  
ante Concilium *Lateran. IV.* absque hæresi  
dicere licuerit, necessariam non esse omnium  
peccatorum Confessionem; post hujus autem  
Concilii decretum illam propositionem  
modò factam esse hæreticam „ R. Dne  
Prof. ! ut ille aliique tui ex sæculis ævi medii  
*Innocentio III.* prioribus, petiti colores solem &  
spongiam sinè nævo ferant, oportet, ut præ-  
stes sequentia :

Exigitur, ut *integros, incorruptos, non trun-*  
*catos* afferas textus eorum in Ecclesia Ro-  
mana virorum doctrinâ illustrium, quos ad  
speciem exhibes pag. 191. quinam illi ? Af-  
fers quidem *S. Thomam Aquinat.* in 4. *distinct.*  
17. sed *mutilasti* Angelici verba. Quæ trun-  
câsti, apponimus majore charactere, ut tech-  
næ tuæ in apricum trahantur. *S. Thomas*  
(ad laborum mercedem abiit an. 1274.) l. c.  
exponens Magistrum sententiarum, & ex eo  
referens *quorundam* de Confessione non integrè  
Sacerdoti facienda opinionem, scribit :

quod ponitur hîc pro opinione, Hæresis est: non quòd explicitè sit contra aliquem articulum; vel præcedens vel sequens ad ipsum, sed implicitè aliquid fidei contrarium continet, quia sequitur, quòd claves Ecclesiæ non sint necessariae ad salutem. Hæc D. Prof. vel per errorem vel per ruborem omisit, & refert tantùm, quæ prioribus ex S. Thoma relatis sunt immediatè subnexa: in talibus, antequàm determinetur ab Ecclesia, non judicatur hæresis esse: & sic Magister (sententiarum) & Gratianus pro opinione hæc ponunt: sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio III. factam hæresis est. Quid jam, mi Dne! in tui subsidium calami extundes ex Doctoris Angelici textu, quem studiosè truncasti? Te ipsum magis intricasti. Planius procedamus. Suppono, quòd scias, quæ in rebus dogmaticis sit opinio erronea, quæ hæretica; discrimen non obscurè insinuat Angelicus l. c. Si paucorum è sæculo IX. usque ad XIII. opinionem nostræ Catholicæ oppositam de Confessione etiam post *Latevan. IV.* & *Tridentini* declarationes hodie ab aliquo sustineri audiret S. Thomas, an tantùm erroneam in fide diceret, an hæreticam? primum saltem de se admittat D. Prof. ex S. Thoma,

*ma*, quem *non mutilatum* retulimus. Secundum ne à nobis audiat, privilegio politico in eodem foro est munitus: multò antiquiore & Nos cùm gaudeamus in omni foro, parcat dièteriis acerbis, quibus infarta sunt ejus scheda.

84. Quid autem præter hætenùs exposita in suæ favorem causæ extorquere velit ex hoc *Angelici* loco, non videmus. Hic Theologiæ nostræ *Angelus*, an dicit, in ea *paucorum*, quam ante *Lateran. IV.* in fide erroneam & falsam jam fuisse, scribit, opinione fuisse *Magistrum* quòque *sententiarum* & *Gratianum*? Oppositum demonstrabimus. An (quod tibi Dne Prof. maximè probandum incumberet) sub Innocentio III. in *Lateran. IV.* an. 1215. laqueum Confessionis omnium peccatorum primò esse injectum fidelibus? Minimè & istud. Sed quòd controversiam sub secundi *Ævi* initium à *nonnullis* motam, utrùm ex præcepto divino teneantur Fideles lapsi ad omnium mortalium coram Sacerdote Confessionem, Synodus *Lateran. IV.* sub Innocentio III. declararit, deciderit, & post hanc decisionem opinio illa non tantùm *fit error, sed hæresis*? Hæc *Angelicus* sub medium sæculi XIII. docuit.

85. Nec magis feliciter, nec magis fideliter ead. pag. 191. testem appellas eruditissimum *Natalem Alexandrum*. Ex hujus quòque Tom. 7. fol. 654. locum producis, sed

pro inlito cacöethe intra ipsum contextum in-  
 terpolâsti authoris verba sinè ullis asteriscis aut  
 notulis, quasi uno fideli filo pergeres. Cur omit-  
 tis, quæ tuam causam vulneratam prosterunt?  
 Artis tuæ non bonæ aliquandæ gratiâ majore  
 iterùm caractere notavimus! à te suppressa.  
 Clariss. Natalis L. & f. c. tuo *Dallæo* idem, quod  
 recoxisti, argumentum opponenti sic occurrit:  
*Respondeo, fuisse quidem è Catholicis nonnullos*  
*nono sæculo & deinceps usque ad Cc. Lateran.*  
*sub Innoc. III. qui Confessionem Sacerdoti fa-*  
*ctam, non esse ad peccatorum remissionem neces-*  
*sariam, senserint.* D. P. omisit ejusdem Clariss.  
*Natalis* hæc immediatè superioribus verbis  
 annexa: *non absque errore, quia ve-*  
*ritas semper una est, & immutabi-*  
*lis, cui nemo præscribere potest, non*  
*spatia temporum, non intervalla lo-*  
*corum, non privilegia personarum.*  
 His intra calami fallacias absorptis D. P. sola  
 ponit ejusdem Authoris sequentia: *sed abs-*  
*que hæresi, quia nondum in plenario totius orbis*  
*Concilio hæc veritas eliquata fuerat, quemadmo-*  
*dum postea eliquata est in Concilio Lateranensi*  
*& Tridentino.* D. P. Tübingane! quia post  
 tot jam derectas fallacias artem tuam geminis  
 his vicibus iterum iterùmque exercens, Can-  
 cellos bonæ fidei transiliisti (tuis utimur)  
 hätten wir nicht alle Ursachen dieses zu retorquieren  
 quod

quod omni jure R. P. Adversarius tuus Epist. 7. dedit tuo Kemnitio: où est donc la bonne foi de Kemnitius. Hoc ipsum ex propria tua versione pag. 193. ita habeas Tibi: Wo ist dann die einem ehrlichen Mann anständige Redlichkeit dieses Doctors? D. P. Tübingani.

86. Ut colores Calviniano - Kemnitianum simulacrum incrustantes sint firmi, à te quoque postulamus, ut ostendisses *multorum* saltem, atque *insignium* inter Catholicos virorum eam fuisse opinionem, Confessionis specificæ necessitati derogantem: ostendisses, quinam & quoti illi fuerint: hanc *aliquorum* opinandi licentiam an Pontifices, an vel unum Concilium etiam Provinciale duntaxat approbârint? an ex adverso saltem particularis aliqua Synodus, an Theologorum synchronorum & quidem illustrium calamus contra paucos obscuri nominis fratres errantes non insurrexerit? Nihil istorum depromis ex penu tua: igitur inani vento verborum strepuisti. Demus tamen aliquid. Fuerint IX. X. XI. XII. sæculo (non ut illimitatè dicis, *multi*, sed nonnulli) qui obligationem sacerdoti omnia peccata confitendi, negârint. Quid inde? an pauculorum Novaturientium audax opinandi præsumptio aut Antiquitatis consensum, & praxin, aut veteris Ecclesiæ doctrinam evertere potuit? an ideò non errârunt? In angulis paucularum provinciarum Errones privatos aliquamdiu toleravit Ecclesia, donec veritatis antiquissimæ

lucem his tenebris oppositam universali decreto manifestius evolveret.

87. Chiliastarum, quamvis à Cerinthi spurcitiis carnalibus longissimè recedentium, opinio in ipso suo ortu erronea fuit, habuerit licèt sæculo II. primum ferè authorem *Papianam*, ac defensores Viros nonnullos sanctitate & doctrinâ magnos: aliorum tamen Patrum partem maximam in eam quamprimùm ore & calamo insurrexisse constat ex *S. Dionysio Alexandrino*, *Eusebio*, *SS. Hieron. Epiphan. Augustin. Basilio*. Illius erroris patronis nemo tunc inussit hæreseos notam, quia quæstio ista Ecclesiæ judicio decisivo necdum erat determinata. Ante *Stephani I. & Concilii Nicæni I.* decreta non pauci, sed plurimi in *Africa* cum *S. Cypriano*, multi in *Oriente* cum *Firmiliano Cæsareæ* in *Cappadocia* Episcopo censuerant, Baptismum à quocunque hæretico collatum nullius esse valoris. Hæc tot magnorum virorum opinio nondum quidem *hæretica* erat, quia oppositum ab Ecclesia universa vel per Pontificem vel per legitimum Concilium nondum erat ultimato declaratum: in seipsa tamen *erronea* fuit circa fidem, Apostolicæ doctrinæ, praxi & primævæ Traditioni contraria. An D. P. cum suis symnisticis vel millenarium Christi cum Sanctis suis in terra regnum fore asseret? an Baptismum à quocunque hæretico collatum affirmabit invalidum, & non potius clamabit ejus iterationem repugna-

pugnare primorum sæculorum doctrinæ & praxi? Quamvis proinde sæculo IX. usque ad initium XIII. Theologorum & Canonistarum nonnulli opinati sint, Confessionem specificam non necessariò præmittendam absolutioni sacerdotali, tamen minùs Theologicè, sed ineptè inferret Theologaster aliquis, hanc ipsam paucorum opinionem non fuisse in seipsa erroneam, falsam, priorum omnium sæculorum sensui contrariam, & trahere sequelas Scripturarum oraculis adversas. Quemadmodum igitur *Stephanus I.* & *Synodus Nicæna I.* ipsis etiam præteritis Reformatoribus, horumque sequacibus veneranda, controversiam de non rebaptizandis ab Hæretico quocunque baptizatis, decidendo, non condiderunt novum fidei articulum, neque novam statuerunt legem purè humano-Ecclesiasticam, sed ipsius Salvatoris oraculo Apostolis traditam, ab his ore ad os propagatam, ac perpetuò conservatam doctrinam infallibili decreto elucidarunt, & Fidelibus perpetuò tenendam proposuerunt: Haud aliter sacræ Synodi, *Lateran. IV.* & *Tridentina* nec novæ revelationis obtentu, nec potestatis sibi arrogatæ lubitu *novum* de Confessionis necessitate rexerunt fidei articulum, nec *novam* condiderunt Legem, sed ipsius Redemptoris doctrinam & Legem in Evangelico Codice comprehensam, à primordio Ecclesiæ continuatâ omnium sæculorum observatione custoditam  
clu-

elucidârunt, ab omni Ecclesiæ Filio & Christi seruo observandam.

88. Ulteriùs à te exigitur D. P. ut digneris (si possis) documento saltem *verosimili* comprobare, quòd pauculorum illorum *erroneam* opinionem aliqua Synodus ante *Innocentium III.* vel approbârit, vel econtrâ plures Synodi plurésque Ecclesiarum Præsules, & plurimi Doctores coævi non tenuerint doctrinam de Confessione antiquissimam? Horum nihil cùm proferre possis, D. P., redi nobiscum ad prædicta ævi mediæ sæcula. Sæculo VIII. *Theodorus Cantuar. Archi - Episc.* in suo *Pœnitentiâli* (cujus meminit *V. Beda*, & quod recensetur ab *Ivone* p. 4. decreti) & *Eckbertus* in *Libello Pœnitentiâli* duplicem describunt tum occultè etiam occulta, tum alium publica peccata publicè confitendi modum. *Theodulphus Aurelian.* in *Capitulari.* c. 31. *Confessiones dandæ sunt de omnibus occultis, quæ sive opere sive cogitatione perpetrantur.* *Alcuinus* Epist. ad *Gothos*: cur, ait, per Confessionem ab omnibus post baptismum peractis Sacerdotali auxilio non debemus absolvi peccatis? *Hæc cogitate, fratres! sequimini vestigia SS. Patrum, & nolite in Catholicæ fidei religionem novas inducere sectas.* Sæculo IX. ann. 813. *Conc. Cabillon.* II. *Can. 32.* Sacerdotes instruit, quomodo debeant excipere Confessiones: uti homo corpore simul & animâ constat, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate



litate peccat; ita solerti indagacione debent inquiri ista peccata, ut de utrisque plena sit Confessio. Cc. Parisiense anno 829. Can. 32. Sacerdotum sollicitudinem excitat, ut speciem & numerum peccatorum à Confitentibus exponi urgeant. Sæculo X. XI. XII. Videantur Radulph. Flaviae (obiit circa ann. 910.) commentar. in Levit. c. 7. Burchardus L. 19. de pœnit. & Ivo Carn. laudant canonem cit. Concil. Cabillonensis. S. Petrus Damiani (obiit an. 1072.) Serm. de S. Andrea, cùm monuisset, Sacerdoti esse confitendum, ait: *quartus pœnitentiæ gradus Confessio oris: hæc purè facienda: quia non pars peccatorum dicenda, pars reticenda.* Goffridus Abbas Vindocinensis (floruit sub ann. 1120.) L. 5. Epist. 16. fortiter confutat Guilielmum, suum quondam præceptorem, contendentem, quatuor tantùm peccatorum genera non soli Sacerdoti, sed universæ Ecclesiæ, reliqua verò nec Sacerdoti quidem, nec cœtui Ecclesiæ, sed soli Deo confitenda. Contra hunc ita concludit: *certum est; nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina Confessione indigere faciendâ illi, qui in ejus (Dei) loco esse dignoscitur.* Accedunt Hugo à S. Victore (obiit an. 1140.) L. 2. de Sacram. part. 14. c. 1. Richardus à S. Victore (obiit an. 1150.) tr. de potest. Lig. & solv. c. 5. Horum verba desideranti dabimus. S. Bernardi (ad gloriam Beatorum abiit an. 1153.) doctrinam, tuis satisfactori votis, tanquam mel desideratum, jam

jam propinavimus nro 64. *Petrus venerabilis* Abbas *Cluniacens.* eodem sæculo XII. l. 1. de miraculis. c. 3. 4. l. 2. c. 32. pœnas refert prodigiosè inflictas mutilatè confitentibus. Sub ejusdem sæculi finem *Gratiano* ferè Synchronus floruit *Petrus Blessensis*, qui, si quisquam alius eo tempore, quidquid nunc contra Confessionem auricularem fingere tibi lubuerit, abundè prævertit, evertitque l. de *Confess. Sacram.* & Tr. de *pœnit.*

89. Alii nobis ex eodem sæculo XII. supersunt viri, *Lombardus* & *Gratianus*, è quorum monumentis luculam suis tenebris emendicare laborat D. P. T. Quid autem *Petrus Lombardus*, Parisinus Episcopus, *Magistri sententiarum* gloriosum sortitus nomen? Floruit ille circa annum 1164. L. 4. *Sent. dist.* 4. Hanc proponit Quæst: *An sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri etiam Sacerdoti?* antequam suæ mentis exponat sensa, quibusdam, inquit, (adverte Dne P. T. non dicit: multis, non illimitatè, sed quibusdam) visum est sufficere, si soli Deo fiat Confessio, sinè judicio Sacerdotali & Confessione Ecclesiæ. Relatis discussisque adversæ partis ratiunculis, improbat opinionem hanc, parcit adhuc notam hæreseos inurere, quia publico Ecclesiæ judicio tunc nondum erat profligata: Suam verò mentem mox apertè declarat, quòd non sufficiat soli Deo confiteri. Hanc suam Thesin ubi multis probaverat

verat argumentis, ita concludit: *ex his, aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primum (per compunctionem cordis) & deinde Sacerdoti offerre Confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi. Ibidem: sicut nobis præcepta est interior pœnitentia, ita & oris Confessio & exterior satisfactio. Unde nec verè pœnitens est, qui Confessionis votum non habet. Atqui hoc ipsum declarat S. Trident. Synodus Sess. 14. c. 4. Muti apices loquuntur, Magistrum sententiarum nec dubitasse, nec etiam sensu suo proprio voluisse affirmare, cuilibet arbitrariam esse Confessionem specificam coram Sacerdote, sed sicut ab aliis medio illo Ecclesiæ ævo Theologis, ita & ab Ipso aliquos oppositum erroneè tenentes fortiter esse repressos. Ex his quòque advertes, sensum Angelici (à Te pag. 191. mutilatè, à nobis integrè relati) eundem Magistrum sentent. exponentis: & sic Magister & Gratianus hoc pro opinione ponunt. Pro quorum opinione? non suâ, sed quorundam aliorum Fratrum errantium. Istâ rejectâ & improbatâ, suam è diametro oppositam indubitanter asseruit, & latè probavit Lombardus.*

90. Restat ex eodem sæculo XII. *Gratianus*, qui post *Ivonem Carnot.* collegit Decretum circa ann. 1130. De illo ita D. P. pag. 194. & 145. *Damit man aber sehe / daß es falsch sene* (hic terminus mirè polito huic Viro familiarissimus est) *das alle Griechische und Lateinische Patres*

tres die Ohren-Beicht / daß man alle wissenschaftliche Sünden beichten müsse / geglaubet haben / wollen wir aus dem Jure Canonico beweisen. Man schlage nur auf Dist. 1. de pœnit. c. 1. q. 32. da wird sich eine Menge Zeuchnüß für un rer Meinung finden. R. 1. ex hac *Distinct.* ut palpabili argumento demonstres vestram (ut bene & verè dicis) *opinionem*; necesse est, ut si palpandam manibus exhibere non possis, oculo saltem demonstres, indubitatum esse puritatem fontis, ex quo frustra attentatæ Demonstrationis tuæ petis principia. Compilationem Canonum elaboravit quidem *Gratianus*; sed virum hunc quàm laboriosâ tam improvidâ industriâ sinè delectu multa corrasisse spuria & supposititia, nemo Eruditus ignorat. Mentem SS. Patrum, aliorumque, quorum testimonia Canonum nomine honorat, minimè affecurus, unum non rarò eundemque, uti *S. Ambrosium* in hac ipsa sua *Distinct.* cit. nunc pro, nunc contra necessitatem Confessionis adducit. Quamvis autem exiguæ authoritatis pondus apud nos habeat compiler *Decreti Gratianus*, ne tamen more tuo videamur ad effugiendi artes delabi, admittimus testem, sed tibi D. Professore minimè *gratiosum*. Obiter citas 1<sup>mæ</sup> hujus *Distinct. can. 1. & 32.* sed neuter ad rem est. Non prior: hic agit de pœnitentia *Petri*, de cujus fletu constat, non de satisfactione. Pœnitentiam *Petri* & reconciliationem *Petri* ab ipso Salvatore

rore & quidem necdum passo concessam, finistrè trahi ad quæstionem nostram de Confessione, *nro* 30. probavimus: quin & *Gratianus* post canonem 87. hoc ipsum asserit. Similiter non stringit can. 32. quia probat solum utilitatem contritionis perfectæ, & voluntariæ ac severæ Pœnitentiæ satisfactoriæ, nec verbulo excludit necessitatem Confessionis Sacramentalis in Novo Test.; imò nec eam contritioni vim tribuit, ut justificatum eximat ab obligatione confitendi, dum Sacerdotis copia haberi potest. ( hæc uberius in responsione 2<sup>da</sup> ) item nititur textibus *Ezechielis*, quos *nro* 34. exposuimus. Quos alios canones per solum τὸ ἑ. indicatos inspicere velit D. P., obscurum est. Hinc ex *Distinct.* cit. scopo & nexu argumentum ducimus, &

91. *q. 2.* *Gratianus* totâ hâc *Distinctione* ventilat quæstionem, an ad justificationem sufficiat, peccata corde contrito confiteri soli Deo (quod eo tempore affirmabant *nonnulli*) an verò requiratur etiam, ea exponi Sacerdoti, & ab hoc absolutionem accipi? Utriusque partis momenta ex Patrum scriptis deprompta *Distinctioni* huic inserit *Gratianus*. Relatis pro prima sententia plurimis testimoniis SS. PP., in speciem faventibus, *Canoni* 34. subjungit, *ex his intelligi posse, quòd antequam Sacerdoti ora nostra ostendamus, id est, peccata nostra confiteamur . . . Et antequam leprosus ad Sacerdotem perveniat, emundetur,*  
H dum

dum per contritionem cordis ante Confessionem oris venia indulgetur. Canoni 37. pro tuenda sententia postrema, subdit parte 2. *Alii e contra testantur dicentes, sine Confessione oris & satisfactione operis, neminem à peccato posse mundari, si tempus satisfaciendi habuerit.* Pro hac sententia, necessitatem Confessionis asserente accumulatur Canones reliquos ferè usque ad calcem hujus Distinctionis. Tandem post canonem 87. ex Authore Operis Imperfecti in Matth. (quod S. Chrysostomo tribuit) *Hic (inquit parte 1.) auctoritatibus asseritur, neminem sine pœnitentia & Confessione propria vocis à peccatis posse mundari.* Unde præmissæ (pro prima aliorum Confessionis necessitatem negante opinione) auctoritates; quibus NB videbatur probari, solâ contritione cordis veniam præstari, aliter interpretandæ sunt, quàm ab eis exponantur. Ad locos S. Chrysost. ambiguos, ab adversa parte relatos ait 2. part. *contra mentem Authoris extortos videri.* Similia reponit ad Textus SS. Ambr. Aug. aliorumque Patrum. Parte 3. ait *sine Confessione oris, si facultas confitendi non defuerit, aliquod delictum expiari, auctoritati penitus probatur adversum.* Pluribus eodem loco suam de Confessionis Sacramentalis necessitate mentem explicat Gratianus. Legat ea D. Prof. & quod pag. 195. scripsit, sibi dictum habeat: *Man schlage nur auf Dist. 1. de Pœn. Can. 1. usque (ad can. 87. ipsiusque Gratiani verba huic Can. 87. subnexa) legat, da*  
 roird

wird man eine Menge Zeugnisse für unsere Lehr-  
 finden: grandem utique numerum opinioni  
 Dni P. T. adversantium. Dignetur Lector be-  
 nevolus *Gratiani* verba loc. à nobis cit. inspi-  
 cere, & in oculis ejus evanescet fumosus, quem  
 D. P. Tüb. ex *Gratiani* decreto sibi promiserat,  
*triumphus*. Hunc sibi decrevit ante victori-  
 am, fortè etiam ignorans aut dissimulans ejusd.  
 Dist. Canonem 51. *Verbum Dei dimittit pec-*  
*cata: Sacerdos quidem officium suum exhibet,*  
*& nullius potestatis jura exercet. Dominus par-*  
*vus & solvendi esse voluit & ligandi, qui utrum-*  
*que pari conditione permisit. Ergo qui solven-*  
*di jus non habet, nec ligandi habet. Certum*  
*est, quòd Ecclesie utrumque licet: Hæresi u-*  
*trumque non licet. Jus enim hoc solis permissum*  
*est Sacerdotibus. Rectè igitur Ecclesia vindicat,*  
*quæ veros Sacerdotes habet: Hæresis vindicare*  
*non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet. Ca-*  
*nonem hunc Gratianus desumpsit ex S. Ambr.*  
*L. 2. de Cain & Abel. c. 4. vel potiùs ex L. 1. de*  
*pœnit. c. 4. contra illiustemp. Novatores scripto.*

92. Forſan ſubſidii aliquid D. P. potuiſſet  
 mutuari ex verbis *Gratiani*, Diſt. ead. Canonù  
 89. ſubjicientis: quibus authoritatibus vel qui-  
 bus rationum firmamentis utraq; ſententiã  
 innitatur, breviter expoſuimus. Cui autem ha-  
 rum potiùs adhærendum ſit, Lectoris iudicio re-  
 ſervatur. Utrãque enim fautores habet ſapi-  
 entes & religioſos Viros. & can. 90. Ude *Theo-*  
*dorus Cantuarienſis Archiepisc. in Pœniten-*

ziali suo: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata, dicunt, ut Græci. Quidam verò Sacerdotibus confitenda esse, percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia...* Sed R. ad 1. quòd sententiæ Confessionis necessitatem affirmanti adhæserit ipse *Gratianus*, ex eodem habes demonstratum. Quòd Lectori relinquat iudicium de alterutra; non idè ab una Confessionis necessitatem negante eximit erroris notam (id ex *S. Thoma* notatum *nro* 83.) ab altera, necessitatem hanc affirmante, non tollit veritatem. Prior sinè hæresi sustineri tunc adhuc poterat, non sinè errore in fide: eam authoritativâ decisione damnare, non erat Viri privati. Ecclesia hanc causam sæculo XIII. decidit, sæculis posterioribus eidem decisioni Synodi Oecumenicæ posteriores inhæserunt; eandem denuò confirmavit *S. Synodus Trid.* Si per *Viros religiosos & sapientes* velit *Gratianus*, etiam primæ sententiæ fautores intelligi; eos admodum paucos (*quosdam*, ut ait *Lombardus*, aut *nonnullos*, ut ait *S. Thomas* l. c.) aut certè obscuri nominis fuisse oportet, qualis erat *Guilielmus* ille, quem à *Goffrido Vindocinensi* acriter impugnatum esse *nro* 88. monuimus. Varios autem religiosissimos ac sapientissimos viros, imò numerosas variarum Provinciarum Synodos ex sæculis IX. XI. XII. Confessionis Sacramentalis necessitatem affirmantes numeris præcedentibus exhibet iste §. *nro* 88. &c.

93. R. ad 2. *Gratianus* can. hunc 90. dicit à se de-



desumptum ex pœnitentiâ *Theodori Cantuar.* sed quòd errore facti, forsan non culpabili deceptus, hunc locum referat corruptum, ex eo patet i. quia *Burchardus* & *Ivo* ante *Gratianum* capitulare istud *Theodori* sic notârunt: *Quidam solummodò Deo confiteri debere, dicunt peccata: Quidam verò Sacerdotibus confitenda percensent.* Non referunt hæc verba: ut *Græci*,... & : *tota ferè Ecclesia.* Eiusdem quidem *Capitularis*, non tamen *Græcorum* meminit *V. Beda.* Hæc igitur à sciolo aliquo inserta fuisse, hujusque schedio deceptum esse *Gratianum*, elucet. *Theodorus Cantuar.* ortu *Græcus* à *S. Vitaliano* Summo Pontifice in *Angliam* missus, & ad *Cathedram Cantuariensem* sæculo VII. promotus, utique sciverat doctrinam & praxin *Græcorum*, quam ipse satis manifestat *cap. 60.* quo deciditur, quòd *peccata sua, si occulta sint, debeant occultè confiteri, Episcopo vel Presbytero, & sic veniam à Deo impetrare.* ex sæculo VI. in VII. vide *Joannis jejunatoris* *Cpolit.* Pœnitentiale nro. 63. Ipso etiam sæculo XII. *Gratiano Synchronus Joannes Antioch.* in *Oratione contra Monasteriorum Direptores.* ait, quòd *elapsis jam quadringentis annis (adeoque 400. annis ante Gratianum)* à cunctis fidelibus adeò cultus honoratúsque fuerit *Monachorum ordo, ut Confessiones & accusationes peccatorum, consequentésque censuræ & absolutiones ad Monachos translatae sint, quemadmodum in præsentiarum quòque fieri videmus.*

De Græcis sæculo XIII. posterioribus & sequenti agemus. Elifimus evasionem inane pag. 193. Wann der Herr Pater sagt / daß schon vor diesem Concilio (*Lateran. IV.*) man die Beichte aller Sünden vor nöthig gehalten habe / so fragen wir / ob dann dieses die allgemeine Meynung gewesen seye. Nos interrogamus, an sæculo III. fuerit communis omnium sententia non esse rebaptizandos, qui ab hæreticis baptizati erant? Non fuit. Non *S. Cypriani* cum tota penè Africa; Non *Firmitiani* cum multis in Oriente. *v. nr. 87.* Et tamen non esse rebaptizandos, tenuit & tenet Ecclesia. Applica hæc, & solve, sed solidè. Id donec sinè felle & aculeo præstes, transibimus ad penitens dissipandam de Confessionis ab *Innoc. III.* primùm injecto laqueo fabulam *Kennitii, Calvini & Tuam.*

§. IV. *Eliduntur Ultimi DD. Advers. Conatus.*

94. Inter hos (si superis placet) validissimum putant speciosum figmentum, nunquam antea in Ecclesia Christi auditam esse legem, Sacerdoti soli omnia peccata confitendi, sed eam ab *Innocentio III.* in Synodo OEcum. *Lateran. IV.* anno 1215. celebrata fidelibus esse impositam. Hujus fabulæ vanitatem dissipavit S. Synodus Trident. Sess. 14. anno 1551. habita c. 5. *Cum à Sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimique*

iniquo consensu secreta Confessio Sacramentalis, quæ ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modò etiam- num utitur, fuerit semper commendata: manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui (cum Calvino L. 3. Inst. c. 4. §. 7. ) qui eam à mandato Divino alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi Congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles NB. Confiterentur, quod Jure Divino necessarium & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum Confessionis, NB saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenis- sent, impleretur. Ecce Lateranensis decreti sensum à celeberrima Trident. Synodo decla- ratum.

95. Quid, ediffere! quid novi hoc cano- ne 21. præcepit *Innoc. III.*? an, quòd sal- tem semel in anno SS. Eucharistiæ & Confes- sionis exactæ illi præmittendæ usum præce- perit? ità quidem præcepit, sed mille ante illum annis S. Zepherinus Pontif. solenni decre- to jam statuerat, ut fideles, discretionis an- nos consecuti, ultra unius anni spatium à Mensæ Eucharisticæ participatione non ab- stinerent, sed semel saltem sub festum Paschæ ad illam accederent. Idem de hujus SS. Sa- cramenti usu decrevit *Innoc. III.* Ex statu- to S. Zepherini quis, nisi ineptè, inferret, an- te illud non extitisse legem, & quidem Chri-

sti Divinam de Eucharistia aliquando perci-  
 pienda à Fidelibus? Haud minùs frivole con-  
 cluderet, ante Innoc. III. Canonem 21. non  
 viguisse Divinam Christi legem de Confes-  
 sione omnium peccatorum Sacerdoti, à quo-  
 cùnque fideli mortalis noxæ sibi conscio fa-  
 cienda priùs, quàm Epuli Eucharistici sacram-  
 entam accedat. Ad Confessionis quoad sub-  
 stantiam simillimæ remedium in Oriente &  
 Occidente, primo Ecclesiæ ævo per quadragesi-  
 males ferias sacræ communioni præmittendum  
 suas oves paternè compulit sacra Præfulum vi-  
 gilia. *S. Gregor. Nyss. Epist. ad Letoi. S. Chryso-  
 st. hom. 30. in Gen. &c. v. nr. 71.* Nihilne  
 igitur novi induxit famosus ille Canon. 21.  
 Innocentian.? Utiq; 1. hoc novi, quòd quis-  
 que Fidelis discretionis annos adeptus *proprio  
 Sacerdoti, solus soli confiteatur fideliter,* aut  
 ab hoc licentiam priùs postulet, si iusta de  
 causa alieno Sacerdoti voluerit *confiteri sua  
 peccata.* Id verò ad rei, quam tractamus,  
 substantiam non pertinere, hebetis cerebri sit,  
 qui non perspiciat. 2. Hoc, quòd in Fide-  
 les, vel tepidos vel refractarios ultra præfinitum  
 tempus utriùsque Sacramenti usum sinè  
 rationabili causa differentes, decernat censuras  
 & pœnas Ecclesiasticas. Ex hac novitate  
 quomodo inferes primùm ab Innoc. III. &  
 non potiùs à Christo datam esse legem exactæ  
 & specificæ Confessionis? *Actor. 15.* Aposto-  
 licum Concilium præcepit Fidelibus, ut ab-  
 stine-

stineant à fornicatione : an novam per hoc legem condiderunt Apostoli, & non potiùs inculcârunt Divinam ? Perjuris, Adulteris, Homicidis, Monetariis, Falsariis, Libellorum famosorum authoribus leges Principum sæcularium publicas etiam decernunt pœnas : quo sanæ mentis iudicio concludes, hæc ipsa Reorum delicta non esse pridem jure naturali & Divino prohibita ? æque parum Novitatis evinces circa Confessionis substantiam reperiendum in Canone 21. Concilii Later. IV. quod ( Confessionem omnium peccatorum ) jure divino necessariam, & jure divino præceptam noverat. Canonis hujus Lateranensis sensum cum pridem declaraverint Præsules & Theologi ex toto Christiano orbe celeberrimi in S. Synodo Tridentina congregati : His tamen oculatior & subtilior Dnus P. Tübing. Calvini & Kemnitii perspicilio usus, contendit declarationem Trid. esse violentam, adeoque ipsam secretæ Confessionis substantiam esse novum Innocentii III. inventum. D. P. sic sagaciter argutatur pag. 192. Wir wollen das Gegentheil zu beweisen / den Canonem 21. des Concilii beysetzen / damit der Leser mit Händen greifen könne / wie man ihn mishandle. Die Wort seynd diese : *omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio suo Sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam studeat pro viribus adimplere, sus-*

*icipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentorum: D. P. debuisset scribere: Sacramentum.*

96. Ex his quid conclusis, subtilis Dns? pag. 193. Stehet also hier nicht deutlich daß man alle Sunden beichten solle? R. imò verò *tò omnia* signatè exprimitur in Canone. Sed quid porò inferis? taces, & immediatè redis ad *con-* *vitia contra 2. Epistolarum* inelytum *Authorem*, ac ad vindicandum tuum *Kemnitium*. Cur ergò & quàm palpabile ex ipso Canone voluisti trahere argumentum? Ni tua subtilitas me fallit, totum argumenti robur voluisti desumere ex *vocula omnia: omnia sua peccata confiteatur*; & forsan cogitabas subsumendo concludere: atqui à Christo præceptum non est omni fidei, ut *omnia* sua peccata confiteatur soli Sacerdoti: ideóque specificam *omnium* peccatorum Confessionem secretam velut laqueum planè novum Fidelibus sub rigido præcepto primus injecit Innocentius III. Hoccine tuæ argutationis tam subtile scil. trabale robur, ut vel manibus palpari possit? ligneum sanè argumentum. Et 1. quidem hoc loco fateris *primarium* ex *li omnia* sumi à Protestantibus argumentum, quod eorundem esse *primarium* negasti pag. 196. Hic, an illic dormitasti? ... *oportet esse memorem*. 2. peris principium. Noli procedere cum iis, qui *ambulant in circuitu*, Ps. 11. v. 9. & *nesciunt, ubi corruant*. Prov. 4. v. 19. Hoc

Hoc ipsum quod quæritur, ponis pro tuæ demonstrationis basi, atque velut certum supponis, Divino præcepto non fuisse decretam peccatorum *omnium* Confessionem. Sed de hoc ipso unica totius inter nos Controversiæ summa est: hoc necdum demonstrâsti, nec unquam demonstrare poteris. Quo igitur sano iudicio velut palpabilem venditas veritatem, τὸ *omnia* ab Innocentio III. assutum, & ad *omnium* ac singulorum peccatorum Confessionem novâ planè lege hæc Innocentianâ adactos esse Fideles?

Demonstra suppositum tuum falsum, à nobis jam in præcedentibus subversum, & audiemus te iterum. Advertisti, cariosam esse hanc tuæ argutationis trabem palpabilem: & sicut in Innocentio carpsisti, τὸ *omnia*, velut Lateranensi Decreto noviter insertum, ità eodem Decreto, vix relato, eandem hanc vocolam ab ineluctabili, quem impugnare conaris, Adversario tuo in ejusdem Canonis relatione omissam esse, non sinè convicio reprehendis pag. 193. Das Wort: alle: hat der Herr Gegner ausgelassen/ und rufft gleichwohl aus. où est donc la bonne foi de Kemnitius. Wo ist die einem ehrlichen Mann anständige Redlichkeit dieses Doctors? Hätten wir dan nicht alle Ursach diese Wort zu retorquiren?

97. Non tu, mi D. Doctor! sed nos habemus. Priusquàm omissionis illius acrisin, à te sinè sano critirio factam, vocemus ad libellam, patere, ut interferamus crisin ad Te propius spectan-

spectantem. Pag. tuâ 191. verba *Natalis Alexandri* & textum sic citasti: *fuere è Catholicis... qui senserit.* cur non scripsisti, *senserint?* pag. 193. Can 21. Lateran. fragmentum verbis tibi postremis sic refers: *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentorum.* canon habet: *Sacramentum.* Utrûmque illud vitium Grammaticum non putem, quòd calamus tuus, sed aliena incuria inseruerit. Ecce honori tuo cum discretionè parco. Cur autem Schedii, quot ferè per iods, tot sarcasmis infari contra primæ confutationis responsoriæ partem primam à R. P. Adversario tuo editam conscripti, aut tumultuario æstu confarcinati Compiler in penuriæ argumentorum deflectit ad faceta scommata? cûmque in Dissertatione de Authentia Libri II. Machab. reperisset *to fortissimus*; cynicè ironico calamo condolet Authori, quasi grammaticæ ignaro. Quid, inquit, Heidelbergæ dicent Grammaticæ tyrones? Quid viri Sapientes, quid ipsi DD. Protestantes de hac Censura satyrica, ingenio petulanter dicaci protrusa senserint, & dixerint, utinam scires! Satyram illam è calamo D. *Cancellarii Academ. Tubingani* fluxisse, suspicari nos prohibet Viri ætas veneranda, limatum tot experimentis iudicium, & Gravitas amplissimis *Professoris, Doctoris,*  
Can-



*Cancellarii Academici & Abbatis* officiis consona. Ex Didascalici alicujus vel Hypodidascalici, aut officiosi Cooperatoris cerebro non defœcato asperfas esse illius cavilli sordes, benignè interpretamur. Repetimus tamen ex pag. 193. Dn. P. verba "hätten wir dann nicht alle Ursachen eben solche Bedaurungen wider den Herrn Authorem Anonymum zu retorquieren?" Duabus enim Ejusdem Dni paginis sibi immediatè succedentibus occurrunt duo palpabilia contrà tritas Grammaticæ leges vitia superiùs notata. Quid igitur? an jure retorsionis recurremus ad Grammaticæ Tübinganæ Tyrunculos? ast hi triviali judicio, æquitatem sententiæ approbante *Prisciano*, *Orbilii* ferulam forsàn decernerent manui, quæ aliena emendatissimè exarata, nequidem sinè gemino contrà Grammaticam peccato poterit exscribere? Hæc retorsione si uti liberet, nunquid exclamares, falsas esse facetias *Viris Literatis* indecoras? Essent profectò, sed sunt *Tübinganæ*. Relinquimus vobis, quæ vestra sunt, pridem usitata, imò hæreditaria. Debuisses cogitare illud: *Talia dicentur de te, quæ dixeris ipse.*

98. Quisquis in re Typographica non omninò rudis est hospes, dum oculo magis ferriante in foliis prælo excusis advenit unius vel alterius vocabuli mendum, sapiente judicio non accusat Authoris ignorantiam, sed oscitantiam quorundam Typothetarum, qui  
 non

non raro negligunt sagacem industriam corrigentis eſtypon primæ excuſionis, qui etiam ſecundâ & tertiâ mendorum notatione ſinè fructu moniti, nova prioribus accumulanti, typoque inferunt errata. Cur proinde Kemnitio tot in aliis ſtudioſæ fraudis convicto comparas, & adeò acerbâ temeritate perſtringis Virum providè ſapientem, 12. Epistolarum Authorem, quaſi in ipſo autographo ſuo veſtras æmulatus eſſet artes, & de industria corruperit Canonem Lateran. 21. omiſſo li *omnia*? Levioris operæ laborem, revidendi ſchemata Typographica, aliorum oculis committere debuit. Error ſiquis irrepiſit, an operis Authorem juſtè culpas? Et quidſi prudens ſchematis primi Reviſor hujus unius vocabuli defectulum advertens, non emendâſſet oſcitantiam Typothetæ? An illi propterea crimen falſi impinges, quaſi alium à Lateranenſi Decreto ſenſum fingere vellet, ne ſolo ejusdem Concilii & *Innocentii III.* lubitu, contra aut præter Chriſti legem *quò omnia* videretur eſſe novo planè ſtatuto intruſum?

99. Suppreſſa etiam ſit hæc vocula: *omnia*. Simpliciter poſitum fuerit: *peccata confiteatur*. Frivolè concluderes, *omnia* conſitenda eſſe, præcepto tantùm *Innocentii*, ſed non Chriſti, ſeriùs tandem ſancitum. Dialecticæ quidem regula eſt, proſitionem indefinitam in materia contingente (ſuppono, quòd hæ phraſes Dialecticæ tibi non ſint paradoxæ &

& peregrinæ) æquivalere propositioni particulari: Ast in materia Legali communis est Istorum regula, propositionem indefinitam sumi universaliter: nomen *Servi, mariti, Civis, Domini*, indefinitè positum, significat *omnes Servos &c.* vide l. 12. ff. *qui & à quibus manumissi &c.* Sanæ Theologiæ gnoma semper fuit, propositionem indefinitam in rebus Dogmaticis æquivalere universali, etiam si termino simpliciter & absolutè posito non præfigatur signum universale, *omnis, omne, omnes, omnia. Homines sunt mortales.* an quemquam exceptum putas? An ad aliquos tantùm restrictam esse censes mortalitatem? *Ibunt hi (qui in judicio à sinistris erunt) in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Matth. 25. v. 46. an aliquos impiorum à supplicio exemptos an aliquos justos à vita æterna exclusos tunc fore, somnias? Præterimus ejusmodi plurima. Regula igitur ista Theologica (ut propiùs ad controversiam nostram accedamus) fundatur in Scripturis Divinis. Quoties istæ, dum simplici, absolutâ & indefinitâ enuntiatione agunt de peccatis, omnia denotant? *Salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1. v. 21. *Dimittet vobis peccata vestra.* Matth. 6. v. 15. *Filius Hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* Matth. 9. v. 6. & *Marci 2. v. 10. ut & Pater vester... dimittat vobis peccata vestra.* Marci 11. v. 25. *Remittuntur tibi peccata.* Lucæ 7. v. 48. *Ecce qui*

qui tollit peccatum mundi. Joan. 1. v. 29. *Stipendia peccati mors.* Rom. 6. v. 23. Ne ultra debitum prolixi simus, scrutare Scripturas & opprimere asserti nostri testimoniis; disces quod particula universalis (*omne* vel *omnia*) etiamsi non præfigatur termino simpliciter indefinitè posito, latitudo hujus non limitetur ad aliqua. *Joan.* 20. v. 23. Christus Apostolis potestatem concessit remittendi vel retinendi *peccata*: non addidit signum universale aut distributivum: *omnia*. An idèò *aliqua* & non *omnia* tantùm remittendi, *aliqua* tantùm & non *omnia* retinendi mandatum dedit? an verò aut *omnia* remittendi, aut *omnia* retinendi? Neutrum potuissent (probavimus cap. i. §. i.) si non *omnium* Cognitionem per accusationem spontaneam poenitentis accepissent. Calva igitur est cavillatio tua, quâ criminaris, quòd in relatione Canonis 21. Lateran. tò *omnia* sit omissam. In scirpo nodum quæris: quasi per ejusdem voculæ *omnia* expressionem Canone prædicto Innocentius III. sanxisset legem novam, & imposuisset fidelibus onus novum, quo nec ipse Salvator suos Fideles suaviter onerari voluit. Cur similem nodum non quæfisti in eodem Canone, jubente, ut omnis Fidelis saltem semel in anno *reverenter* suscipiat Eucharistiæ Sacramentum? Cur non dicis, quòd Innocentius III. fidelibus novum laqueum novi præcepti injecerit, ut cum religiose *devota* reverentia ad Divini hujus Epuli sumptionem

ptionem accedant. Si (quâ enim id fronte ad-  
strueres?) novam per hoc legem non condi-  
dit, sed Divinam imò naturalem (*Sancta  
Sanctè*) inculcavit; igitur dum expressit, *om-  
nia* peccata esse confitenda, legem novam de  
confitendis *omnibus* non condidit, sed legem  
Christi tot jam antè ipsum sæculis firmissimè  
creditam, sanctè observandam supposuit, no-  
vit, inculcavit.

100. Si legem omnia peccata fideliter co-  
ram Sacerdote confitendi natales suos novi-  
rios sæculo tandem tertio supra decimum ac-  
cepisse, adhuc tueri conatur D. P. T. evol-  
vat & extricet, vel unicum quod R. P. 12.  
Epistolar. Author fol. 288. edit. Germ. ad om-  
nium captum eruditissimâ & nervosâ clarita-  
te deduxit argumentum. Ex sæculo VII. ús-  
que ad XII. adeóque ex sæculis pluribus In-  
nocentii III. Pontificatum præcedentibus re-  
fert Augustissimor. Cæsarum, Sereniss. Prin-  
cipum, Heroúmque veneranda nomina; re-  
fert nomina Episcoporum & sacerdotum, in  
quorum aures illi suæ Conscientiæ nævos pri-  
vatim deposuerunt, Sacri Judicis arbitrio &  
sententiæ Coronata & Laureata submittentes  
Capita. Quid reposuisti D. P. T.? Lacertos a-  
lioquin ad cordatam aggressionem prædenter  
validos, ponderi tam gravi politicâ arte sub-  
ducis. Ferre, aut elidere dum desperas, e-  
ludis, dignus qui illudaris. Id unicum red-  
dis: pag. 164. es beweist aber solches gar nichts:

die Evangelische Fürsten haben ja auch ihre Beichte-  
 Väter: muß man denn daraus schliessen / daß  
 diese Herren ihre Sünden ihren Beicht-Vätern  
 specificiren müssen? R. Annon vicibus toties i-  
 teratis omnem nobis causam præbes hujus re-  
 sponſionis tuæ verba priora retorquendi?  
 Es beweist aber solches gar nicht. Nihil solvis,  
 saltas extrâ Gyrum quæſtionis. Dno P. T.  
 perinde est, ad an extrâ rem verba profunde-  
 re, modò carpere & mordere possit. Non quæ-  
 ritur an singula peccata sint confitenda iis,  
 qui non sunt, sed illis, qui sunt verè Sacerdo-  
 zes? Non quæritur, quid nunc extrâ Ecclesiam  
 Catholicam fiat, sed quid plus quàm decern  
 ante Vestram Reform. sæculis faciendum, de  
 lege Christi circa confessionem omnium pec-  
 catorum judicârint & juxta illam fecerint Sum-  
 mi in orbe Christiano Principes, qui annis  
 antè Innocentium III ferè quingentis rerum  
 in Imperio Summam tenuerunt. Agnoscimus  
 eam, quam Serenissimis etiam Protestanticæ  
 Professionis Principibus quisque debet, obser-  
 vantiam: Eorundem tamen Clementissima,  
 quam demissè nobis promittimus, indulgen-  
 tia & sapientia concedit, disparem, uti in re-  
 bus Dogmaticis cæteris, ita in hoc Dni Prof.  
 argumento rationem reddere. Dicimus igitur  
 & cum debitâ veneratione asserimus: Hi Se-  
 renissimi Principes nulla lege tenentur Hi  
 suis, quos nunc eo nomine dignantur, Con-  
 fessariis specificè & numericè integram, imò  
 nullam

ullam facere peccatorum suorum Confessionem. Imò generatim dicimus, neminem Fidelium ad specifico - numericam peccatorum Confessionem teneri, nisi Sacerdori, vocatione & ordinatione legitimâ potestatem Clavium consecuto. Hoc antiquissimum & Apostolicum est Ecclesiæ Catholicæ Dogma. Vocationem & Ordinationem vel immediatè vel mediatè Divinam, veram peccata remittendi vel retinendi potestatem auctoritativam legitimè sibi collatam probare hætenùs non potuerunt DD. Ministri Ecclesiæ Protest. *Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis aut Apostolicis viris, quæ tamen cum Apostolis perseverârit, successorem vel auctorem habuerit & antecessorem. Tertullian. L. de Præscript. advers. Hær. c. 20.* Hanc Episcoporum in sua Ecclesia successionem ab Apostolis inchoatam & continuatam, proin legitimam Ordinationem verumque Sacerdotium suum authentico testimonio DD. Ministri cum probare non possint; quis nostrum adeò vecors erit, ut affirmet quemquam Fidelium ullâ lege adstringi ad ullam, quantò minùs ad specificam & numericam omnium mortalium Confessionem vel uni ex his DD. Ministris faciendam. Accedit alterum. Domini isti cum negent his tribus, Contritione cordis, Confessione oris, & absolutione Sacerdotis constitui

verum Novæ Legis Sacramentum à Baptismo distinctum; negant consequenter, Confessarium teneri Sigillo Sacramentali rigidissimo, quod nullo planè casu admittat vel minimam relaxationis rimam. Quis ergò intima animi sui arcana, soli Deo nota, tutò & sinè ullo revelationis prudenti metu in aures deponat eorum, qui putant, se ad summum Solius Secreti naturalis lege (quæ in non paucis exceptionem patitur) teneri ad non revelandum eorum quidquam, quod in Confessione sibi concreditum acceperunt morale depositum.

101. At verò Dno Professori opponebantur ex sæculo VII. ad úsque XII. Principes etiam sapientissimi, qui & pluribus antè *Innocentium III.* sæculis eos sibi elegerunt conscientiae arbitros ac Judices sacros, quos certitudine tantà, quanta in summis negotiis haberi potest, noverant legitimâ vocatione & ordinatione consecutos veram peccata remittendi aut retinendi potestatem. Quotquot eorum sæculi suprâ decimum sexti tempora vivendo præcesserunt, cujus Ecclesiæ tenuerunt de peccatorum Confessione hujusque necessitate doctrinam? An vestræ? hanc antè sæculum decimum sextum mundo invisibilem latuisse Proto-Magistri vestri, suâ opellâ tandem ex angulo concavi Latønæi in orbem sublunarem esse reductam, venditârunt. Cujus de nunc Ecclesiæ de ejusdem Confessionis substantia doctrinam annis post Reforma-

tio-



tionis Præf. incunabula jam plùs quàm du-  
centis tenuerunt, atque etiamnum tenent  
Ser<sup>mi</sup> Principes Catholici? Nunquid Romano-  
Catholicam? Hanc uti *corde credunt ad justitiam*,  
ita *ore & opere profitentur ad salutem*.  
Credunt unius etiam delicti secretissimâ co-  
gitatione admissi coram Sacerdote Confessa-  
rio reticentiam esse grande sacrilegii piaculum.  
Aut igitur omnes, qui tot sæculis antè *Inno-*  
*centii III.* decretum, & qui ab hoc primùm  
edito per quatuor sæcula antè Vestræ Refor-  
mationis primas Calendas, & qui post has ad  
nostram usque ætatem in sinu Ecclesiæ Catho-  
licæ floruerunt & florent, summarum in Re-  
publica dignitatum Viros ad Sacerdotum  
tribunal sacrum confugientes, an hypocritas  
argues, qui aliud professi sint, & profitean-  
tur ore & opere, aliud crediderint aut credant  
corde? an sacrilegos dices, qui aliquorum  
(siquæ ex fragilitate humana contraxerunt)  
peccatorum confessionem voluntariâ reticen-  
tiâ mutilent, quam sinè præcepti Divini vio-  
latione, sinè Sacrilegio truncari non posse  
firmissimè, quia fide divinâ, credunt? Alter-  
utrum dicas necesse est; si neutrum; igitur  
nec poteris negare, argumentum illud tibi à  
R. P., Adversario tuo quem impugnasti,  
oppositum, tuâ paritate minimè esse in-  
firmatum, sed desultorio artificio decli-  
natum. Incredibile est, quòd etiam infimæ,  
mediæ, quid dicam summæ in humanis for-

runæ viri prudentes, præcepto, quod humanae verecundiæ non rarò apprehendunt difficillimum, se subiecissent, si purè Pontificium putâssent, & non potiùs Divinum ab ipso Salvatote sancitum esse, ex fidei Apostolicæ principiis firmissimè credidissent; cuius legis uti ferendæ, ita & laxandæ, æquè parùm ac legis de Baptismo statuendæ aut laxandæ potestas non sit penes Ecclesiam. Nunc hanc adhuc integram quia frangere D. Adversar. ægerrimè poterit, arrodat interim.

102. Videamus alium ejus saltum, à nobis supra memoratum, non nihil dissimulatum. pag. 194. & 195. ait; Damit man aber leben könne / daß es falsch seye / daß alle Griechische und Lateinische Patres die Ohren • Beicht / und daß man alle Sünden beichten solle / geglaubt haben / wollen wir x. x. Quòd Patres celeberrimi, quòd Theologi insignes, quòd Reges & Principes, sæculo 13. antiquiores corde & ore hoc crediderint; exhibent præcedentia: ut autem oculis omnium pateat, non *Latinos* modò sed etiam *Græcos* & quidem non *Latinifatos*, etiam ipso sæculi 13. initio & ad usque sæculum 16. hoc ipsum tenuisse, paucis ostendemus. Ac primò quidem in celeberrimo illo Concil. *Lateran. IV.* sub *Innoc. III.* præter florem Theologorum, convenère Patriarchæ *Orientalis* duo, *Copolitanus* & *Hierosolymitanus*, *Antiocheni* morbo impediti vices *Anthedonensis* Episcopus, & *Alexandrini* sub *Sar-*  
race-

racenorum jugo detenti locum supplevit  
*Germanus* Diaconus. Aduère Primates &  
 Metropolitanæ 77. Episcopi 412. Abbates &  
 Priores suprâ 800. Astitère Imperatorum  
*Occidental. & Oriental.* Regum *Galliæ, Hispaniæ, Hungariæ, Siciliæ*, aliorumque Principum ac Civitatum Legati. Præter præcipuas tam numerosi Concilii convocandi rationes, ad doctrinam Fidei, ad extirpandam *Albigensium & Almarici* hæresin spectantes, hunc sibi scopum quoque præfixerat *Innocentius III.* ut Orbis Christiani Principes excitarentur ad expeditionem belli sacri. Reflectamus ad pauca. Si *Innocentii* arbitrio primùm sancita erat lex confitendi omnia peccata, cur eam publico in confesso lectam non impugnarunt Patriarchæ & Episcopi Orientales & Occidentales? Non rei præceptæ substantiam, sed præcepti Divini ab omnibus implendi tempus Conciliari hoc decreto declaratum esse, perspectum habuerant, etiam *Græci*: nimirum vel ipsa *Photiani* schismatis sæculo jam IX. exorti turbatio ex Orientalium animis non excusserat antiquissimam Majorum suorum de Divino Confessionis Sacramentalis præcepto fidem. 2. Armorum ad Bellum sacrum suppetias ab avita Regum & Principum Christianorum pietate sollicitare, alter erat hujus Concilii ab *Innocentio III.* convocati scopus. Beneficium pium, sed sumptuum & periculorum magnitudine difficil-

limum, obtinendi an ratio congrua fuisset Lex planè nova Confessionis, tam ardua, ex *Innocentii* arbitrio ipsis adeò Regibus eo ipso tempore imposita? 3. Si præceptum istud eadem in hac Synodo natum esset, néque ab ipso Salvatore omni Fideli post Baptismum lapsis impositum credidissent vel ipsi Legati Principum, cur non commodissimam illius evitandi arripuerunt occasionem? Suis in Legibus dispensare potest Ecclesia: gravibus de causis ab earum obligatione non rarò eximit; & quoties non exemit viros Principes, aliosque de Ecclesia præsertim optimè meritos? Et cur ne unus quidem in hac Synodo Regum aut Principum Orator conditionem hanc dispensationis in Lege illa (si nova & solius Ecclesiæ fuisset) pro suo Principe, pro seipso impletam voluisset priùs, quàm suppetias armorum pro Bello sacro condiceret? Certà tenebant fide, Legem hanc Divinæ voluntatis decreto sancitam esse pro fidelibus lapsis, cujus æquè ac Legis de Baptismo ab infidelibus suscipiendo laxandæ potestas non sit penes Ecclesiam.

103. Post Lateranense IV. celebrata sunt Concilia Generalia; *Lugdunense I.* anno 1245. Aduère ex Oriente præter Episcopos *Græcos*, Patriarchæ, *Copolitanus* & *Antiochenus*. In *Lugdunensi II.* anno 1274. pro *Græcis* ad unionem cum Ecclesia reducendis convocato comparuerunt itidem Patriarchæ, *Copolitanus* &

& *Antiochenus*. In *Viennensi* anno 1311. denudò Patriarchæ *Cpolitanus* & *Alexandrinus*. In *Florentino* anno 1438. *Josephus* Patriarcha *Cpolitanus*, cum cæterorum Patriarcharum Legatis, ac celeberrimis Ecclesiæ *Orientalis* Præsulibus, assistente ipso *Orientis* Imperatore *Joanne Palæologo*, cum fratre suo *Demetrio*. In illustribus hisce Synodis; & quidem uberrimè in *Florentina*, *Latinos* inter & *Græcos* accuratâ disquisitione agitata sunt ea Quæstionum Capita, in quibus *Græci* multi post *Photianum* schisma à Majorum suorum & Ecclesiæ *Latinæ* doctrina & praxi recesserant. In quibuscunque, quæ tibi ad manus sunt, vel esse poterunt, Conciliorum Actis incorruptis ostende periodum vel unicam, quæ referat *Græcos* inter & *Latinos* tunc disceptatum esse de Confessionis auricularis præcepto, quasi non *Salvatoris*, sed *Ecclesiæ* solius arbitrariâ & novâ voluntate fidelibus imposito. An siluissent *Græci* in Concilio *Lugdun. I.*, si ejusmodi jugum antè annos non nisi 30. ab *Innocentio III.* impositum esse vel suspicati essent? An in *Florentino* complanatis, quæ inter utramque Ecclesiam agitata erant, controversis quinque capitibus planè aliis, an ullus erat de Sacramento Pœnitentiæ motus? nullus de hoc erat inter utrosque dissensus. *Josephus* Patriarcha *Cpolitanus* cæterique *Græci*, per omnia se cum *Romana* Ecclesia sentire, testati, Decretum Unionis propriæ ma-

nūs subscriptione die 6. Julii anno 1439. solemniter approbârunt ?

104. Si requiras, dabimus Græcos alios etiam ex asse schismaticos minimè *Latinisatos*, *Nicephorum* Chartophyl. in Epist. ad *Theodosium*. *Nicolaum Cabasilam* quem vide in Exposition. Liturg. c. 19. *Jeremiam* Patriarcham Cpolit. in suis ad DDnos *Tübinganos* responsoriis anno 1576. die 15. Maji, Articulo illorum 11. opponit, hanc *Orientalium* esse doctrinam, Fidelem lapsum obligari, omnia, quorum sibi conscius est, peccata corde contrito & humiliato in specie & particulariter confiteri: Utitur doctrinâ *S. Basilii* in *QQ. five Regul. breviorib.* Regul. 229. docentis, Antistiti omnia delicta esse aperienda, eoque peccatum quod subtrahitur, sit velut latens sub cute morbus. Hujus Viri non *Latinisati* autographum utique adhuc extabit in scriniis *Tübingano-Academicis*.

105. *Cyrillus Berrhoëns.* Cpoleos Patriarcha cum Cc. Cpolit. anno 1638. anathema dicit *Cyrillo Lucari* dogmatizanti, non esse septem N. L. Sacramenta. Huic damnationi inter cæteros subscripserunt *Parthenius Senior*, tunc *Adrianopolitan.* & *Junior* tunc *Joanninorum*, postea Cpolitanae sedis Episcop.; & quidem *Parthenius Senior* factus Cpolit. Patriarcha in Concilio apud *Jasium* *Moldaviae* anno 1642. habito in literis synodicis inter capitula *Lucariana* damnat. 15um, quo *Lucaris* respuit quinque

que Ecclesiæ Sacramenta, videlicet *Sacerdotium*,  
*Sacram Unctionem*, *Sacrum Oleum*, *Confessio-*  
*nem cum pœnitentia*, *Sacras Nuptias*, quæ om-  
*nia ut Sacramenta & divinam gratiam nobis con-*  
*ferentia*, antiqua nobis traditio reliquit. c. 16<sup>um</sup>  
*duo. verò alia Sacramenta admittens*, duobus  
*deinde Capitibus eorum virtutem non rectè ex-*  
*ponens... Divinam Eucharistiam ita convellens,*  
*quòd nihil aliud nisi nudam figuram admittat.*  
*Nisi denuò fingas Illustrissimum Nointelium Le-*  
*gationis Gallicæ Splendidissimam provinciam*  
*per annos plus 30. tenuisse apud Portam Ot-*  
*tomannicam*, dicere non poteris *Cyrrillum*  
*Berrboënsesem & Paribenium* hunc seniore *No-*  
*inteliano* ære fuisse *Latinisatos*. Horum de-  
*cisiones anno 1672. mense Jan. in Synodo nu-*  
*merosa sub Dionysio Cpoli*, & eodem anno  
*sub Patriarcha Dositheo Hierosolymis ap-*  
*probatae sunt. Vide Harduin. Act. Cc. Tom.*  
*XI. à Colum. 171. ad Col. 282.*

Indignationem suam si D. Professor vertat  
 in *Dositheum* Patriarcham Hierosolymit. quem  
 à D. *Nointelio Latinisatum* præterdit, ean-  
 dem vertat in *Dionysium* Cpolitianum, Syno-  
 dumque ibidem ejusdem anni 1672. initio ce-  
 lebratam: vertat: an evertat momenta, quæ  
 sibi jam novit opposita, non suo fastuosè de-  
 cidat critirio, sed prudentum judicio relinquat;  
 néque sibi met solus cum dicaci contemptu  
 Parris adversæ immaturæ vanitate applaudat.  
 Qui hætenus Dni P. T. Confessionem Sacra-  
 men-

mentalem impugnantis vestigia serie magis ordinatâ insecuti sumus, cum eodem quoque fistimus calamus. Quæ enim ille conclusioni suæ jam formatae pag. 201. obiter subnectit, se ipsis concidunt; tum quia respondetur, quod ipsum vel maximè quæritur: tum quia edoceri cupit suorum facta, quæ non potest ignorare. Jure potiore Dni P. suam de hac controversia disceptationem pag. 201. concludentis verba veritati Catholicæ accomodamus: *Potest igitur, non ex levibus tantum conjecturis, sed cum veritate, firmissimis nixa fundamentis, potest & debet affirmari, quod Catholica, id est Universalis, omnium utique Sæculorum Ecclesia (ipsis adeò Græcis post Schisma etiam Phozianum antiquissimæ de Confessione Sacramentali doctrinæ adhuc adhærentibus) crediderit, Confessionem (quam DD. Adversariis auricularum appellare lubuit) esse institutionis Divinæ.*

Vale! *Noli plus sapere, quam oportet sapere, sed fac, velis, sapere ad sobrietatem. Rom. 12. v. 3. Leni animum tuum, & placabilem reddere considerandæ... veritati. S. Aug. L. contra Secundin. Manich. c. 6.*

\*\*\*\*\*  
 Menda sic emenda. fol. 10. lin. 3. vinculum. lege vinculum. f. 11. l. 15. remittentur. l. remittuntur. f. 15. l. 25. petestat. l. potestatem. f. 16. l. 25. nro 4. l. n. 5. f. 27. l. 10. eludicârunt. l. elucidârunt. & ibid. lin. 24. illum. l. illam. f. 40. aliquid fuisse. l. aliquid non fuisse. f. 46. præsumant. l. præsumunt. f. 73. admittendo. l. admittendos. f. 75. l. 27. tom. 1. l. II. f. 115. Ude. l. Unde. &c.





POSITIONES  
DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET  
TRIBUS PRIORIBUS IN SPECIE.

1. Septem sunt N. L. Sacramenta, à Christo  
immediatè instituta. 2. Essentialiter constant Re-  
bus, & Verbis, non tamen Concionalibus, sed  
Consecratoriis. 3. Hæc nobilissima est inter Sa-  
cramenta A. & N. L. differentia, quòd antiqua  
per se non potuerint dare perfectam sanctitatem,  
4. Quam tamen N. L. Sacramenta conferunt ex  
opere operato. 5. Baptismus & Pœnitentia per  
se primam, reliqua per se secundam, 6. Pro dispo-  
sitione subjecti majorem aut minorem causant  
gratiam. 7. Tria iterari non possunt, & impri-  
munt Characterem indelebilem. 8. Sacramento-  
rum Minister est solus homo viator; non tamen  
quilibet cujuslibet: 9. Quod idem dixeris de Sa-  
cramenti subjecto. 10. In isto requiritur, & suffi-  
cit intentio habitualis: 11. In Ministro oportet  
esse saltem virtuales: 12. & quidem non solius  
operis externi, sed Sacramenti. 13. In Ministro  
non exigitur fides & probitas: 14. Nec valorè  
obstat ejusdem error in fide purè speculativus.  
15. Baptismum Fluminis ante suam Passionem  
D. N. J. C. instituit; 16. Pro materia deter-  
minavit abluionem in aqua elementari, 17. pro  
forma: Baptizo te in Nomine P. & F. & S. S.  
18. Sub cujus enuntiatione indicativa sive mer-  
gas, sive abluas, semel an ter id agas, ad valorem  
perin-

perinde est. 19. Infantes sunt hujus Sacramenti capaces, 20. quod ad salutem absolutè necessarium est infantibus etiam Fidelium, quos non juvat fædum & fictitium Calvinii fædus. 21. Baptismus ab adulto susceptus cum obice vel materiali vel formali, hoc sublato reviviscit. 22. Quilibet homo viator ratione utens sive mas, sive fœmina potest illum validè ministrare, in casu necessitatis etiam licitè. 23. Sacramenti hujus in re non suscepti vices supplere potest in infantibus Martyrium, in adultis hoc, aut etiam Baptismus Flamini. 24. Confirmatio est verum N. L. Sacramentum. 25. Materia ejus est Chrisma ab Episcopo benedictum, quo frontis fit unctio cum verbis: Signo te Signo Crucis - - - Minister ordinarius est Episcopus. 26. SS. Sacramentum Eucharistiæ non stat in usu. 27. Est permanens, 28. Per verba Consecrationis, per Corpus & Sanguinem D. N. J. C. & Species Sacramentales constitutum. 29. Materia necessitate Sacramenti necessaria est panis usualis simpliciter talis, & vinum de vite. Essentialis forma: Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus. 30. per hæc fit vera, realis transsubstantiatio, 31. ut aded Christus Dominus, non figurativè, sed verè, realiter sit præsens sub speciebus panis & vini. 32. SS. Eucharistiam esse sub utràque specie sumendam, nulla extat Lex Divina. 33. In Missa offertur Deo soli verum ac propriè dictum Sacrificium incruentum Corporis & Sanguinis Christi, Cui honor in Sæcula.



...sacramenti  
...necessarium  
...juvat fœ-  
Baptismus  
...eriali vel  
...utlibet bô-  
...e fœmina  
...necessitatis  
...in re non  
...ibus Mar-  
Baptismus  
...m N. L.  
...hrisma ab  
...unctio cum  
...Minister  
...vramentum  
...ermanens,  
Corpus &  
Sacramen-  
...ate Sacra-  
...iciter talis,  
...Hoc est  
...s. 30. per  
...31. ut aded  
...d verè, re-  
...s & vini.  
...aque specie  
...a. 33. In  
...bride dictum  
Sanguinis